

B. M. II, vi.
h. 29, 15.

(X 187 7901)

II R
5228

C. D.
DE
RESIDENTIBVS

EORVMQVE IVRIBVS
EX DECRETO
INCLITI ICTORVM ORDINIS
SVB PRÆSIDIO

PETRI MÜLLERI, JCTi

CONSIL. SAXON. ANTECESSORIS
ET DECANI

PRO LICENTIA

*Summos in utroque Jure Honores & Privilegia
Doctoralia rite capeffendi*

disputabit

CHRISTOPH. VVILHAD. *Gilden*

HAMBURGENSIS

AD DIEM NOVEMBR. ANNO M DC XC.


JN AVDITORIO ICTORVM
HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS.

JENÆ, LITTERIS NISIANIS.

544



DEO
PATRIÆ
ET
PATRONIS



S A C R V M!





Inaugurale specimen editurus, jubentibus ita inelytae hujus Salanae statutis, post exantlata Deo Juvante examina, cum in Themate seligendo sollicitus essem, praesens de Residentibus, occasione quadam hic non memoranda, se obtulit: quod non solum usu, & quotidiana utilitate, sed & aliis nominibus commendabile, haud indignum censui solenni interpretatione, idque per hanc quasi publici Juris facere. Lubens autem agnosco, materiam hanc non pro dignitate, quae majorem judicii maturitatem atque experientiam requirit, sed per summos ac memoriales saltim titulos, ampliore existente, quam ut plenaria ejus tractatio paucis pagellis circumscribi possit, exhibitam esse. Nihil adeo magis in votis habeo, quam

ut equus mihi lector obtingat, qui humanitate sua, si qua in parte lapsus fuero (in nullo enim aberrare divina solius non autem mortalis esse constantia seu roboris Sacratissimus Imperator noster l. 3. § 13. C. de V. l. E. ipse statuit.) vel dignitati materiae, vel ipsius desiderio non satisfecero, aut ex defectu librorum, aut ex Ingenii viribus, nondum ad omnia applicatis, benevole ignoscat. Sicubi tamen cuiquam Censoriam suam in me stringere virgulam placuerit, eo equiori id sufferre animo statutum mecum ac deliberatum habeo, quo promptior sum ad confitendum ipse me non nisi tenuitatis meae mihi conscium neque tam accurati speciminis, quam honesti duntaxat conatus gloriam semper affectasse. Ut autem initium fiat amabile Deo Nov. 6. pr. Et felix progressus, exoptatusque sequatur eventus ad exemplum Imperatoris nostri in l. 2. C. de offic. praef. praet. Afr. divinum implorans auxilium pia humilique mente ita exclamo:
 O Deus! O faveas nostrisque laboribus adsis!

GENERALIA LEGATORVM PROPONENS.

S V M M A R I A.

§. 1. *Scopus hujus capituli 2. Antiquissima Legatorum origo 3. Patribus familias familiis suis solum Imperantibus nulla fuit Legatio 4. 5. 6. 7. Vere Legationum cause. 8. Vocis Legati Etymologia. 9. Quid generaliter denotet Legatus. 10. Hodiernis moribus usitata Legatorum distinctio. 11. Ab Intrinseca muneris potestate divisio. 12. Plenipotentiarum nomen non honoris sed potestatis est. 13. Divisio ab externo dignitatis honore. 14. Ambasciatores unde dicantur. 15. Ambasciatores quid sint. 16. Character representativus quid sit. 17. An character representativus notatus in omnibus Principis representet personam? 18. Quinam sub secundi ordinis Legatis comprehendantur? 19. Tam primi quam secundi ordinis Legati sunt vel ordinarii vel extraordinarii. 20. Extraordinarius a legatus quis 21. Agentes quinam. 22. Illos inter publicos status ministros referri. 23. Agentes quandoque a Collegiis privatis mitti. 24. Residentes & Agentes sepe inter se confundi. 25. Agentes secreti quinam. 26. Commissarii & deputati quinam sint.*

§. I.

De Residentibus eorumque Juribus tractaturus, antequam periculosa plenum opus alex aggrederer, necessarium duxi, generalia quaedam de Legatis præmittere, ut iis cognitis atque perspectis, faciliorem deinde in specialiori tractatione facere progressum liceret.

§. 2. Antiquissimam originem Legationum, etiam ante distinctionem Imperiorum, *Josephus* ab ipso Deo petit: Dum Deum ideo creasse Angelos asserit, ut hoc mu-

nus apud homines exequerentur *lib. 15. antiq. Judaic. c. 8.*
 Grot. *in annot. ad lib. 2. d. I. B. & P. cap. 18. §. 1.* Boeclerus
de auspicio regio cap. 2. §. 14. Quamvis improprie hoc ne-
 gotium, quod inter Deum & homines intercedit, Legatio
 vocitetur; cum illa non nisi inter pares intercedat, magnâ
 existente differentiâ inter DEVM Summum omnium re-
 rum Monarcham, & terrigenas subjectos & infimos ipsius
 Vasallos. Kirchner. *de Legat. lib. 1. c. 1. n. 16. & c. 2. n. 23.*

§. 3. A Mundo condito atque post Diluvium iterum
 reparato, Deus tam Adamo, quam Noacho, Jus & pro-
 prietatem in res inferioris hujus naturæ contulit, nullâ un-
 quam existente communionem Ziegl. *ad Grot. de I. B. & P.*
lib. 2. c. 2. §. 2. pag. 217. Jo. Strauchius *cap. 1. de Imp. Mar. §. 7.*
 qui, vi hujus donationis, domini totius terrarum orbis fa-
 cti sunt, adeo, ut si quis præter Adamum atque Noachum
 fuisset, accipere hunc terrarum orbem citra Injuriam non
 potuisset. Simon. *in not. ad. H. Grot. de I. B. & P. lib. 2. c. 2.*
§. 2. n. 1. quò tempore, patre familias saltim suæ familiæ im-
 perante, Legatio nulla existere potuit.

§. 4. Ast multiplicatis deinde hominibus, inque cer-
 tas regiones se distinguuntibus, regnum regni opus habuit
 auxilio: Inprimis cum potentiores minus potentes inva-
 dere, eosque supprimere vellent; Hi verò contra tales
 Machinationes cum exteris gentibus fœdus & amicitiam
 inirent, quod absque legatorum opera fieri haud poterat.
 Inde & *collocutores* adpellantur, sive internuncii, qui ad
 colloquium admittuntur, sive belli vitandi, sive pacis &
 virium comparandarum causa. Plutarchus *sub fin. apoph-*
tebegm. Lacon. Grotius III. *de I. B. & P. cap. XXIV. §. 3. 4.*

§. 5. Neque vero hæc saltim causa Legationum fuit,
 sed ut familiis privatis, ita principibus atque diversis rebus

pu-

publicis, mutua intercedere solent commercia, officiorumque communicationes, quibus alendis necessarium utique est, ut alter alterum de voluntate sua certiore faciat, quod cum non semper personali ac proprio colloquio habito, ob distitas regiones fieri possit, vel per Legatos, vel per litteras expediri debet.

§. 6. Attamen Litterarum ministerio cuncta committere prolixum esse, earum fidei periculosum: monet Marselaer *de Legat. lib. 1. diff. 4.* ut ut enim multa inter absentes commode per litteras explicentur, tamen quaedam quo secretiora sunt, magisque propter negotiorum magnitudinem celanda, ea litteris commissa tanto majori cum periculo expediuntur, quia saepius in eorum manus, quos minime volumus, incidere possunt. Brun. *lib. 1. de Legat. c. 2.* Jam vero eadem (littera scripta manente) scriptoribus inevitabile periculum afferre solent: quid quod! negotia quaedam ita sint comparata, ut litteris expediri nequeant, si nempe exploranda magis, quam tractanda; & sic praesenti colloquio melius expedienda. Quod enim homini est loquela, hoc Imperiis sunt Legationes Paschal. *de Legat. c. 6.* Per Legatos itaque cum summis Imperantibus conferendi optima erit ratio, *generalmente è meglio*, inquit, Franc. Bachon. *de saggi morali n. 30. fol. 84. trattare con parole che con lettere, e per mezano che in persona.* Maxime cum praesens inter Principes ipsos colloquium periculosum tum & exitiosum interdum esse soleat. Memorabili exemplo hanc assertionem confirmat Mars. *lib. 1. de Legat. Diff. 4.* addatur quoque Cominaeus *de rebus gestis a Ludovico XI. Carol. IIX. Francorum Regibus lib. 3.* ubi elegantissimè de congressibus Principum quaedam commentatus & singularia quaedam exempla in medium addu-

adducit: confer. Bœclerus *de colloquiis & congressibus principum* §. 26. Forstner. *ad 11. Annal. Taciti p. m. 175.* Dignitati quoque principum multum decedet, si ipsimet, de re certa deliberaturi, convenerint; neque res tam felicem sortientur exitum, quod Wicqvefort. *de l' Ambassadeur liv. 1. Sect. 1. pag. 2.* notat sequentibus verbis: *Les princes ont leur commerce entre eux comme les autres hommes; mais ne pouvant se communiquer en personne, sans quelque prejudice de leurs dignité, ou de leurs affaires, ils se servent de l'entremise de quelques ministres; a qu'ils donnent le caractere d' Ambassadeur, ou une autre qualité publique.* Sane etiamsi Principes inter se bene convenirent, eorum affectus tamen & familiares, dum lingua, veste, moribus, splendore a se invicem dissentiunt; vix continere se poterunt, quin in contradictiones & derisiones labantur, Principum existimationis atque famæ maximo cum damno & periculo. Marselaer *lib. 1. de legat. diff. 4.* Forstnerus *ad 1 Annal. p. m. 82.*

§. 7. Quamvis vero necessitas sola legationem invenerit, tamen nullum unquam inter multa ac varia Reipubl. munia munus extitit, quod cum Legatione neque officii utilitate, neque rerum gerendarum causarumque magnitudine, varietate atque difficultate, neque dignitatis splendore conferri possit. Brun. *in Epist. dedicat. tract. de legatis præmissa.* Unde etiam fieri solet, quod ut plurimum viri ætate graves (quamvis interdum si plures una mittantur, iis Juvenes adjungantur, ut senum frigiditas & cunctatio, calore & festinatione Juniorum incitetur, Juniorum contra præcipitancia senum moderatione cohibeatur Marselaer *lib. 1. de legat. diff. 13.*) huic muneri præficiantur: Illi scil. quos longus tractandorum negotiorum usus

acuit

cuit, ipsaque adeo peritia & felicitas versandorum animorum, fulti præterea exacta rerum publicarum scientia Paschal. *de Legat. c. 17.*

§. 8. Legatus sive a legando, quod mittere significat nomen habeat; uti vult Bechmann. *de Orig. Ling. Lat.* hinc & apud Romanos fere legitur junctim legatus missus. Cæsar. *lib. 1. de Bello Gallico cap. 42. Legati ultro citroque mittuntur.* Idem quoque *nuncius legari* dicitur. Livius *1. Hist. cap. 32. Nuncius publicus Pop. Rom. juste pieque legatus.* sive etiam a legendo dicatur, quasi e multis ad munus hoc subeundum lectus sit, ut Varro *lib. 4. de Ling. Lat.* existimat, idem erit: Legatus enim utrumque signat, quod nimirum & lectus & missus sit Paschal. *de legat. c. 1.*

§. 9. Generali appellatione legatus ille est, qui mandati tabulis instructus, publico nomine ad expedienda negotia solenniter missus, incolumitate ea fruitur, quam illi Jus Gentium ex rationis naturalis dictato concessit. Fursten. *de Jure Suprem. cap. 6. lit. a.* parum huc facientibus, quæ incertus notator ad præsens caput animadvertit, quasi ex Cæsarini mente non peccetur contra Jus Gentium, si violetur Legatus. Quid enim verbis illius potest esse disertius? Addatur Zieglerus *de Jure Majest. lib. 1. cap. 32. §. 13.*

§. 10. Varia autem sunt Legatorum genera, atque ut relictis vulgaribus distinctionibus (quas ex Besoldo *in dissert. de legat. c. 2. §. 1.* & aliis hujus materiæ scriptoribus petere licet) hodiernis moribus usitatam distinctionem sequamur, eos tum intrinseca muneris potestate, tum externo dignitatis honore distinguere possumus. Fursten. *de Suprem. cap. 6. lit. b.* Kulpis *de legationibus Stat. Imperii c. 2. §. 1.*

§. 11. Intrinseca muneris potestas plerumque circa tractationes negotiorum versatur, quæ, pro diversa mandati

B

qua-

qualitate, vel imperfecta est; quando nimirum Ministri, restrictum mandatum habentes, Domino referre coguntur omnia ipsis proposita, antequam concludere possint, ut ille rati habeat: Hos *formularios* quidam appellant à forma certa & Instructione, cujus intra limites totius Legationis cardo vertitur. Kirchner *de legat. lib. 1. cap. 2. n. 35.* vel perfecta & plena: ubi non solum deliberandi jus super negotiis propositis Legatis competit, verum etiam concludendi potestatem habent. Quorum *mandatum cum libera* vocatur, illique solenni elogio *Plenipotentiarum* nominantur. Sic in litteris ad comitia Invitatoriis Imperator: so wolle dieselbe ihre ansehnliche Rätthe und Gesandte mit vollmächtigen ungemässenen Gewalt/ohne hinter sich bringen/abfertigen. *Auctor der Grundfeste part. 1. cap. 2.* Licet vero tabulæ per Plenipotentiarium signatæ fuerint ante rati habitationem Domini, tamen negotio finem impositum esse non censetur: Quamvis si fiducia litteris Dominus ad rati habenda à Plenipotentiarium acta se obstrinxerit, sine diminutione existimationis suæ retractare nequeat, prout existimat Furstener *de Suprem. cap. 6. lit. b.* Kulpis autem *de legation. Stat. Imp. c. 2. §. 3.* putat hanc ratificationem nihil aliud esse, quam solennitatem curialem, consuetudine seculi, in quoscunque humanæ perfidiæ casus demum introductam. Sane illud certum est Plenipotentiarium Jure Gentium eundem esse, qui Jure Civili est mandatarius quod Wicquefort *de L' Ambassad. lib. 1. sect. 16. pag. 185.* statuit: *Vn Plenipotentiaire n'est en effet, qu'un Mandataire ou Procureur.* Gesta vero à procuratore aut mandatario rati habitatione domini non indigent (quomodo ea quæ à falso procuratore gesta sunt, rati habitatione convalidentur vid. *Struv. Synt. J. Civ. Ex. 7. th. 27.*) ideoque vi il-
lius

lius potestatis à Principe Ministro concessæ, ante supervenientem formalem ratificationem, negotium validum censetur. Et sicuti Mandatarius obstrictus est Mandanti, aut Procurator Domino rationem reddere *l. 46. §. 4. ff. de procurat.* ita Plenipotentiarario incumbet rationem reddere negotiationis suæ *Wicquefort de l' Ambassadeur lib. 1. sect. 16. pag. 186.*

§. 12. Cumque tale mandatum cum libera cuicumque velint Principes concedere possint; hinc est, quod Plenipotentiararii nomen non honoris sed potestatis sit *Fursten. de suprematu cap. 6.* ita ut etiam deputatis atque Commissariis, in aula propria versantibus, ad tractandum cum exterorum legatis tribuatur. Tam enim primi quàm secundi ordinis ministri liberrimum tractandi mandatum habere possunt, ac proinde Plenipotentiararius legato characterem habenti opponi nequit, sed in eodem legationis gradu, in quo Dominus ipsum constituit, titulo Plenipotentiararii, quousque mandatum suum se extendat, saltim indicante, permanet *Wicquefort de l' Ambassad. lib. 1. sect. 5. pag. 61. la qualité de plenipotentiaire ne donne pas un nouveau caractère au ministre elle marque seulement l'estendue de son pouvoir & de son autorité.*

§. 13. Externo dignitatis honore Ministri publico nomine missi, hodierno usitato loquendi more, in primi & secundi ordinis legatos distinguuntur *Wicquefort de l' Ambassad. lib. 1. sect. 5.* quæ distinctio quamvis olim incognita plane fuerit, hodie tamen à Romana aula, Ceremoniarum Magistra introducta, & consuetudine mutua aliorum curiis infinuata, accuratissimè observari solet. Aliter hanc distinctionem exprimunt, quando illos Legatos Gallicè *Ambassadeurs*, hos ablegatos gallicè *Envoyes* nun-

cupant prouti Furstener *de suprematu cap. 6.* & Becker *Synops. J. publ. c. 4. §. 15.* fecerunt. In lingua nostra vernacula differentiam hanc quoque deprehendere licet, dum Legatos vocamus **Gesandten** / & Ablegatos **Abgesandte**. Quamvis hoc de hodierno stylo verum existimandum sit: cum veteri Recessuum stylo eadem personæ modo **Gesandten** / modo **Abgesandte** nominentur. Sic enim in *R. J. Spir. de Anno 1570. §. und dieweil dann / §. wiewohl nun / §. und wann auch / & §. und nachdem Gesandte* dicuntur, qui eodem *Recessu §. damit dann auch / §. wann auch / & §. nachdem wir / Abgesandte* appellantur. add. Linnaeus *artic. XL. ad Capit. Matthiæ Imp. ubi von Putschafftern / Gesandten und Abgesandten*. Sic apud Exteros hanc distinctionem quoque observari notat Kulpis *de Legat. Stat. Imper. c. 2. §. 4.* adducitque exemplum Regis Sueciæ, qui in litteris d. 23. Octobr. An. 1659. ad deputat: Francof. scriptis, expresse se misisse dicit, primo Ablegatum, deinde litteris, & denique solenni ad Electores, Principes & Status egisse Legatione ap. Lundorp. *contin. p. 8. l. 8. c. 468.* Statuentes Turcas hanc differentiam non agnoscere, sed tam primi quam secundi ordinis Legatos communi nomine *Elchi* appellare, falluntur: annotavit enim & exemplis illustravit Wicquefort *de l' Ambassadeur. lib. 1. sect. 18. pag. 226. que les Turcs distinguent fort bien entre les caracteres & que ceux, qui croyent, qu' à la porte on ne fait point de distinction entre les Ambassadeurs & les ministres du second ordre se trompent: Quin potius notum est Ambasciatores ab illis vocari *Eltebi vel Heligi*, reliquos vero *Houlack* quod idem est ac apud Gallos Envoyé. Russos quoque eodem modo distinguere, & Ambasciatorem *Posla*: Envoyé vero *Poslanic* nuncupare notat Kulpis *de Legat. Stat. Imp. c. 2. §. 4.**

§. 14. Sunt verò primi ordinis Legati Ambasciatores, res cuius vocabuli etymon variè variè accersunt ἀπὸ τῆς ἀμ-φαιδίξεν à mittendo derivat Schönborn. *lib. 3. Polit. c. 27.* Gallos Ambassadeur ab Ambascia quia non sine molestia, tædio, laboribus Legationis munus obitur, deducere tradit Wissenbach *ad ff. p. 2. Diss. 41. n. 1.* ab Hispanica voce *Embiar* originem ducere Ambasciatoris nomen cum in illa lingua vocetur *Embaxador* autumat Wicquefort *de l' Ambassad. lib. 1. sect. 1. pag. 3.* Germanicæ originis vocem quidam esse volunt, inter quos est Lindenbrog cui subscribunt Paul Merula & Vendelinus *Glossar. Salic.* in voce *Ambascia* ob Euphoniâ pro *Ambacht* *Ortfrid. Evangel. lib. 1. c. 25.* quod significat functionem: & *Ambachten* operari, apud Willeramum Abbatem *in Cant. Cantic. p. 15.* Imo *Festus*, lingua antiqua Celtica, *ambactum* pro servo habitum esse, ex *Ennio* commemorat. Atqui non male concludat hinc aliquis, *Ambachten* eadem lingua esse servire *Cæsar* testis antiquior, *VI. de Bello Gall. cap. 15.* *ambactos* & *Cientes*, hodierno sensu fere loquendo, equites & vasallos conjungit. Addatur Pontanus *in Glossario Prisco Gallico*, & Ferrarius *in originibus Italicis*, voc. *Ambasciatore*. Henricus *Sûß* *in epistola* quadam ad Moniales *von Gott reden/ soll allezeit euer Ambacht seyn: nisi commodiore sententia ibidem sit legendum soll euer Andacht seyn: Quorundam locorum usu quoque retentum est Ambicht & Ambichtmann pro Ambt & Ambtmann vid. Strauch. diff. Exot. 7. tb. 4.*

§. 15. Ambasciatores describuntur; Quod sint Ministri publici ad publica negotia conficienda, à Principe ad Principem, caractere repræsentatio solenniter missi. Qui proinde quatenus repræsentatio caractere pollent,

non Juris potestate, sed specie dignitatis à secundi ordinis legatis distinguuntur, in quantum scil. hi de præcedentia, aliisque ceremoniis repræsentationi alias connexis, minus curiosi esse possunt, ut sine imminutione splendoris Domini, quo & quodocunque libuerit eundi redeundi, aulæ etiam ad quam missi sunt ministros visitandi, cumque illis liberius conversandi facultatem habeant. Kulp. *de Leg. Stat. Imp. c. 2. §. 4.* Cum contra Ambasciator in omnibus congressibus dignitatem Principis sui observare, maxima cum Pompa & multis Illustribus stipatus incedere, actionesque suas, imo omnes gressus & passus secundum normam dimeteri obstrictus sit, ne in Præjudicium Domini quicquam admittatur. Quod eleganter Wicquefort *de l' Ambassad. lib. 1. sect. 5. pag. 53.* intimat, dum ait: *l' Ambassadeur est obligé de les mesurer de concerter toutes ses actions, d' agir dans les formes, & de conserver la reputation de son Prince aussi bien que ses Interests.*

§. 16. Quid autem character repræsentatitius sit ex Furstener. *c. 7. de suprem.* colligere licet; Nimirum Jus fruendi honoribus, quibus exciperetur Dominus mittens si præsens esset; Isque Legato ipso Legationis auspicio tribuitur, vi cujus apud eum ad quem missus est, atque in concursu aliorum Legatorum, Principis sui loco habetur atque æstimatur, quousque scil. excelsa mittentis dignitas atque recta ratio, publica que consuetudo ministrum Domino succedere patiuntur. Neque vero Ambasciatores solum caractere hoc notantur; Verum etiam illi quos hodie Vice-Reges Germanicè **Stadthalter** vocamus caractere repræsentatitio gaudent, qui tamen ab Ambasciatoribus in eo differunt, quod hi ad externos mittantur, illi vero subditis Domini præficiantur: Et Venetos hanc qualita-

litatem Magistratibus ad Provincias gubernandas vel exercitum ducendum abeuntibus concedere ex Wicquefort *de l' Ambassad. lib. 1. sect. 1. pag. 5.* discere licet. Magnam isti similitudinem habent cum Legatis provincialibus Romanorum de quibus Manutius *ad Epist. XXI. Ciceron. ad Atticum.*

§. 17. Notandum vero quamvis Ambasciatores caractere repræsentatio sint insigniti, adeoque Principis personam repræsentent, non tamen eosdem, qui Principi debentur honores prætere posse. Quoniam ut ait Kulpis *de Legation. Stat. Imp. c. 14. §. 2. Principales Regique honores in Majestate Imperantium, in illo sinu, in illis visceribus, in illa origine sua ita continentur, ita proprii sunt atque inserti, ut plene formaliterque derivari in alios quoscunque non possint:* adeoque personalissimis incomunicabilibusque Principis personam solum concernentibus privilegiis frui haud poterunt Ambasciatores. Nimirum in conventu Principum, quoad Legationis Jura æqualium, præsentis Principi absentis Legatus cedere debet: Quamvis Princeps, qui Legatum misit, si ipse præsens esset, fortassis alii præferendus foret. Ita enim Wicquefort *de l' Ambassad. lib. 2. sect. 8, pag. 96. L' Ambassadeur represente le Souverain, mais il ne l' est point; c'est pourquoy il doit ceder à ceux qui ont cette prerogative, quelque part qui il se rencontre avec eux.* Sicuti etiam in conventibus Electoralibus præsentis Electores absentium quamvis anteriorum Legatis præferri videmus. Idem quoque in collegio Principum per singulare decretum de anno 1653. d. 21. Julii confirmatum, quando Legati principum, ex caractere repræsentatio, nec natis Principibus cedere velent, si quando Legati forent aliorum. Auctor *der Grundveste*

ueste part. 2. cap. 5. p. m. 99. conf. Schweder *Introd. in Jus Publ. part. spec. sect. 1. c. 10. §. 11.* Hujus observationis, quod Legatus non omnem Principibus presentibus alias debitum honorem pretendere possit, exemplum adhuc nobis esse potest, quod Electorum Legati nec in curia solenni Cæsarea, diserta *A. B. dispositione c. 22.* mensam Domini sui occupent, Just. Sinold. Schüz *de Stat. Rei Rom. p. 1. Ex. 7. §. 24. lit. F. in fin.* Sprenger *Inst. Jur. Publ. lib. 1. c. 29.* nec curialia officia Dominis suis competentia loco eorundem expediant, sed sub officialibus, illisque absentibus, ordinariis Imperatoriae aulae officialibus cum fructibus annexis relinquere necessum habeant. Schüz *de Stat. Rei Rom. p. 1. Ex. 7. th. 25. lit. A.* Vbi controvertentibus aliquando inter se Anhaltino Principe Legato Saxonico, & Vice-Mareschal-lo de **Pappenheim**; item Bohemiae Legato & Sub-Pincerna de **Limburg**/ pro Sub-Officialibus judicatum fuisse refert ex Arum. *Disc. 6. ad A. B. th. 43.* Addatur Lundorpius *in actis ad ann. 1623. p. m. 738.* Neque tantum in loco tertio Ambasciator Principis Principi presenti cedit, verum etiam in aula ejus ad quem missus est posteriorem locum occupare tenetur, cum Principes omnes quasi fratres inter se habeantur, Ministrum vero fratris, fratri locum præripere velle incongruum futurum esset. In Gallia Legatos à Latere non posse sibi præferri jubere crucem erectam, Jurisdictionis Ecclesiasticae notam, eo in loco ubi Rex praesens est, & sic quodammodo à Majore Regibus, scil. à Pontifice missos ipsis Regibus fasces submittere annotat Fursten. *de Supremat. c. 8.* conf. Pufendorff *Einleitung zu der Historie cap. 12. pag. 876.* Sed & Galli hoc circumspicte agunt, ne Pontificis Legati quidquam admittant, regni Statutis ac Legibus contrarium: ideo neque
mu-

munus exercere possunt Legati, antequam facultates a sede Romana concessæ, Parlamento exhibitæ, & arresto solenni ad certum temperamentum redactæ fuerint. Thuan. *lib. iii. histor. ad ann. 1547.* ut proinde in genere verum existimandum sit: Nullum Principem Legatis suis dare posse perfectæ repræsentationis characterem.

§. 18. Sub secundi ordinis Legatis comprehenduntur *Envoyes, Residentes* (quorum consideratio cum primario nostri sit Instituti, eam infra paulo plenius instituemus) *Agentes, Commissarii & Deputati*: Optimo Jure illos Negotiatores vocare possumus quod de Ambasciatoribus ullo modo dici nequit. Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 1. pag. 6.* B. Dn. Ziegler *lib. 1. de Jurib. Majest. c. 32. n. 2.*

§. 19. Vtriusque tam primi, quam secundi ordinis Legati sunt vel ordinarii, vel extraordinarii. Ordinarii illi sunt quibus ad nullum determinatum negotium confiendum missis, certum tempus non est præfixum. Extraordinarii vero peculiari cum mandato, ad certum negotium intra breve tempus expediendum, mittuntur: Unde sæpe fieri solet Extraordinarium ordinario supervenire. Quando enim ordinarius graviores labores plerumque sustinuit & negotium fere ad finem perduxit, Extraordinarius quandoque mitti solet, quo majori Pompa ea, quæ conclusa sunt, executioni mandentur conf. Furstener *de Suprematu c. 6.* Kulpis *de Legat. Stat. Imp. c. 2. §. 6.* Ex eo vero quod extraordinarius superveniens ordinario præcedit, minime concludi debet, illum hoc esse digniorem ut fecit Perez *ad Cod. tit. de Legat. n. 2.* cum inter eos diversa dignitatis species non constituatur: alias ab ordinis prærogativa ad specificam rei diversitatem argumentum fieret,

ret, quod concedendum non est. Quamvis ordinarius cum extraordinario non facile concurrat, sed in quantum fieri potest, ab illo separatim agat. Illud tamen certum est, & publici moris, extraordinarium ordinario ejusdem Domini præferri. Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5.* Rationem affert Furstener *de Suprem. c. 6.* quod usu receptum sit, ut ex duobus ejusdem Domini Ministris, cœtera paribus ille præferatur, qui novissimus venit; atque sic Extraordinarius Ordinario. Præsertim cum Extraordinarii plerumque & majoris esse soleant dignitatis homines, & absolvendis magni momenti negotiis, vel obeundis publicis honoribus destinati. Dictum est ejusdem Domini Ministrum ordinarium extraordinario postponi; Quando autem diversorum Dominorum Ministri eadem specie dignitatis utrique insigniti conveniunt, extraordinarius aliquando ordinario cedere debet, nimirum si hujus Domini illius Domino præfertur. Exemplum hujus assertio- nis petere licet ex Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5. pag. 57.* in Marchione Justiniano Reip. Genuensis ad Regem Galliaë ablegato extraordinario, ordinario sive Residenti Brandenburgico cedere coacto.

§. 20. Extraordinarius ablegatus (cui ordinarium, Residentem nempe contradistingui- mus, cum nihil aliud sit quam extraordinarius Residentis Wicquefort *de l' Ambass. liv. 1. sect. 5. p. 57.*) est minister publicus, ad conficiendum negotium intra breve temporis spatium, litteris creden- tialibus instructus, & absque caractere representatio missus. Quorum utpote ad negotia conficienda aptissi- morum sicut in genere omnium secundi ordinis mini- strorum hodiernis moribus usus est frequentissimus: Præ- fertim

sertim si apud eos aut cum iis negotia sint inchoanda, à quibus metuimus honori nostro aut dignitati præjudicium fieri, aut veremur ne Legati nostri cum aliis de præcedentia aliisque ceremoniarum solennibus collidant.

§. 21. Secundi ordinis Ministris ablegatis annumerandi sunt quoque *Agentes* quorum usus videtur fuisse antiquioris originis: Siquidem illorum in Privilegio quodam à *Dagoberto M. Francorum Rege Episcopo Modoaldo Trevirensi & Ecclesiæ concessio*, mentio fit, cujus iniium sic se habet: *Dagobertus Rex Francorum Viris Illustribus Ducibus, Comitibus Domesticis & omnibus Agentibus tam ultra quam citra Rhenum & ultra Ligerim, tam absentibus quam presentibus &c.* ex *Lehmann. Chron. Spir. lib. 3. c. 15.* Attamen hos *Agentes* nihil aliud quam Ministros Domesticos & officiales regios subditis præfectos designasse ex *H. Bignon. ad Formul. Marculf. I. II.* annotare licet, add. *Jac. Guther. III. de Offic. Dom. Aug. cap. 10. sub fin.* Indeque eorum munus actionem appellatam refert *Car. du Fresne in Gloss. sub vocab. Agentes.* Idem Judicium de Agentibus in rebus quorum in Codice fit mentio fert *Kulpis de Legat. Stat. Imp. c. 3. §. 3.* quamvis *Vffenbach de Consil. Imper. aulico cap. 7. sect. 2.* Nuncios eos fuisse, qui mandata Principis in provinciis perferebant, hodiernis Nunciis Cameralibus functione non absimiles existimet. Interim hodiernos nostros *Agentes* ab illis multum differre certissimum est *Joh. Gryphand. de Legat. conclus. 5. lit. a.* cum eos saltim vocitemus *Agentes* quibus nullæ litteræ credentiales, sed ad summum commendatitiæ sunt concessæ, neque regulariter negotiis ad statum publicum pertinentibus cum Principe atque ministris ejus tractandis præficiuntur, sed



sed res Domini cum Judicibus aliisque Magistratibus, aut etiam privatis tantum agunt.

§. 22. Sunt qui Agentes publicos status ministros esse negant, inter quos est Kulpis *de Legat. Stat. Imp. c. 1. §. 5. & c. 3. §. 3.* Furstener *de Supremat. c. 6.* cum eorum officia talia esse soleant, quæ quandoque Mercatores, imo etiam minoris fortis homines expedire possint: Ast declaratio Statuum Hollandiæ quam Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 2. pag. 384.* exhibet eos inter publicos status ministros ponit. Sane sicuti suprema potestas liberam habet facultatem, etiam graviora Agentibus quam ipsis alias competere, negotia committendi, prout videl. personarum temporum negotiorumve rationes postulare videbuntur Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 2. sect. 3.* Ita in negotiis conficiendis eorum ministerio utatur, qui actionibus suis Principali dignitati decrementum non inferant, nullo alias de injuria ipsis illata relicto conquerendi loco; Si nempe tales Agentes habeat, qui hospitium exercent, & vili atque abjecto vitæ genere Principali ignominiam inurant. Duos Lutetiis Parisiorum & Hagæ Comitum haberi Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5. pag. 61.* auctor est, ubi eleganter addit: *Les Princes qui les souffrent, ne se peuvent pas plaindre si on n'a point de consideration pour leurs Agents, & si on ne les distingue point d'avec les autres gens de la mesme profession.*

§. 23. Neque vero solum summæ potestates Agentes suos alicubi habent; sed etiam privatorum collegia subinde, nullo imperio vel potestate prædita, eos quandoque alunt. Sicuti societatem mercatorum in Anglia Agentem suum ad Indias Orientales misisse ex Laudo *int. Angl. & Belg. de anno 1655. in gravam. n. 14.* testatur Illustr. Dn. Lyncker

Lyncker in *Dissert. de Commiss. Imper. ad Negot. Stat.*
tb. 3.

§. 24. Quamvis autem distinctam speciem Negotiantium Agentes constituere, extra dubitationis-aleam positum sit, tamen illos sæpius cum Residentibus confundi in lectione Autorum annotare licet. Eadem confusio appellationis circa Procuratores Judicii Imperialis Aulici observanda est, qui mox Residentes, mox Agentes à nonnullis vocitantur; ast distinctè hic tenendum Procuratores illos, qui Regum vel Electorum causas in Aula Cæsarea simul curant *Residentes* vocari. Illos verò qui Principum aut reliquorum statuum, quandoque & privatorum Processus sollicitant *Agentes* nominari. Conf. Vffenbach *de Conf. Imp. Aul. cap. 7. sect. 2.* Vbi tamen observat Electorum Procuratores in publicis tantum i. e. in Aula Cæsaris pro Residentibus haberi; non vero in consilio Imperiali Aulico, si v. gr. Inrotulatio Actorum vel Publicatio peragitur, sed ibi solum pro Agentibus & Procuratoribus, uti reliquorum statuum reputari.

§. 25. Sicuti vero plerumque publicè & apertè mittuntur Agentes, nonnunquam tamen clam eos ablegari Hottomann. *Franco gall. lib. 1. n. 5.* auctor est. Qui Reginam Angliæ & quosdam Germaniæ Principes Venetiis *les Agents secrets*, Agentes secretos habuisse testatur, qui clanculum & in occulto negotia quædam tractarent, cum ob diversitatem Religionis amicitiam quandam Senatus cum ipsis contraxisse videri nollet.

§. 26. Secundi ordinis Ministris accensentur quoque *Commissarii*, qui à potentiore principe aliquo aut Magistratu ad subditos, eosque qui illum superiorem agnoscunt

scunt mittuntur, Jurisdictionem ejus à quo missi sunt non egredientes. Quales sunt qui ab Imperatore nostro ad Status Imperii destinantur, in certis tamen casibus. *Auctor der Grundfest. part. III. cap. 8. n. 2. p. m. 263.* Horum relativum est Deputatorum nomen, quod alias generalissimum fere est, & eo olim insignes erant, qui ad aliquem congressum s. conventum denominati erant. *Besold. in thesaur. voc. Deputations Tag* *Limnaeus IX. J. Publ. c. 1. n. 233. & seqq.* Specialiori significatione *Deputatus* denotat illum, qui à subditis jus mittendorum Legatorum non habentibus ad Principem mittitur. Vide, quæ de *Syndico Provincialium* tradit *Generosus. Dn. à Seckendorff parte II. des T. J. St. cap. IV. n. 10.* qui alias *der Landschaffes Canklar*/item *Land-Marschall* vocatur, & dignitate gaudet hereditariâ.

CAP. II.

exponit

DEFINITIONEM ET DIVISIONEM RESIDENTIVM ET DE ORIGINE ATQVE RECEPTIONE EORVM TRACTAT.

SUMMARIA.

- §. 1. *Scopus hujus capituli.* 2. *Vocabuli Residentis Etymologia.*
 3. *Homonymia.* 4. *Synonymia.* 5. *Residentis definitio.*
 6. *Divisio.* 7. *Origo Residentium.* 8. *Receptio Residentium.*

§. I.

Pertractatis generalioribus Legatorum & consideratis quibusdam eorum speciebus, consequens est, ut pro-
 posi-

positam nobis speciem paulò plenius evolvendam sumamus. Cumque animadvertendum esse, quid sit de quo quærat, moneat Julianus in *l. 13. §. 3 ff. de Reb. Dub.* atque prius nominis habendam rationem existimet Vlpianus in *l. 1. pr. ff. de J. & J. l. 1. §. 1. ff. de pact.* non immerito specialiore tractationem à notatione nominis inchoandam esse duxi. Inprimis cum usû vocis cognito, monente Scaligero *Exerc. 1. Sect. 1. & Exerc. 356. Sect. 1.* sæpe in perceptionem ipsius rei facilius provehamur, cum verba rebus, non res verbis deserviant Gail. *1. Obs. 150. n. 6.*

§. 2. Inscripta est dissertatio nostra de *Residentibus*, quod vocabulum in hac significatione apud Scriptores purioris Latinitatis, utpote hujus speciei ignaros reperire non licet; compositum illud esse ex verbo *SEDEO*, & conjunctione inseparabili, ut Grammaticorum more loqui liceat, *RE*, paululum tantummodo consideranti facile patebit, unde & *residere* est in loco aliquo morari. Sic Virgil. *V. Æn. vers. 180.*

Summa petit scopuli siccaque in rupe resedit
alias *residere* pro cessare ac quiescere sumitur idem Virgilius *VII. Æn. vers. 27.*

- - - *omnisque repente resedit*
flatus - - -

unde Plautus *Captiv. act. III. Sc. 1. vers. 8. residere Escuriales ferias*: ibi enim *residere* nihil aliud est, quàm quiescere & feriari, ut festis diebus consuevit. Nobis in priori significatione venit, ut dicatur *Residens* quasi qui in loco aliquo diu commoratur. Et hæc quoad Etymologiam hujus nominis sufficiant.

§. 3. Residentis vocabulum diversas quoque habet
 significationes. Sic enim *Residentes* in terra dominica ho-
 mines liberi dicebantur, tam qui proprium non ha-
 bebant, quam qui proprium habebant *cap. Car. M.*
lib. 5. c. 150. Residentium Episcoporum mentio fit *in l.*
14. C. de Episcop. it. c. 1. c. 16. qu. 1. in Synodo seu
 in conventu congregatorum. *Residens* quoque vocatur
Vasallus, qui ex debito residet in prædio domini sui, ita ut ab
 eo recedere ei non liceat: Sic si plures dominos quis habeat,
 ei magis obnoxius est, & ejus *Residens* esse debet, cujus Le-
 gius est. *Car. du Fresne glossar.* Porro quondam *reside-*
re, sive Jus commerciorum stabile adquirere poterant in ci-
 vitatibus Hanseaticis, qui nati erant ex illis: hinc frequens
 mentio in antiquis Hanseaticorum recessibus *de residentia,*
von der Niederlassung / sive de Jure Emporii. Addatur
 Marquardus *III. de Jure mercatorum cap. V.* *Residere* etiam
 dicuntur Judices qui de re quapiam cognoscunt *l. 13. Cod.*
Theod. de Jure fisci Lib. X. tit. 1. De Clericis non residenti-
 bus extat in Decretalibus titulus, in quem videri possunt
Commentatores. Tales meretricibus comparari, quando
 scil. non resident, sed propter suam quietem aliis nutricibus
 infantes suas i. e. populos committunt, asserit Ziegl. *in 7. Can.*
pag. 267. ab hisce toto quod ajunt cælo distare *Residentes* no-
 stros, qui certo loco & tempore subsistunt, attentiusq; omnia
 observant, nec prætermittunt quod Principi suo commodum
 afferre possit, facile patet; Ac de his forte exaudiendus
 est Grotius *Ep. 360.* ad Oxenstiernam de Gallis perscribens,
 quod multas secum habeant *subscriptions Regis in charta*
pura, quibus præscribant, quæ in horas conducere existi-
ment Dn. Pufendorf. *Lib. XVIII. histor. Suec. §. 59* inter
 disce-

disceptationes Gallo Suecicas super Legatorum ac Residentium munere : *Residentem tantum videndi & auscultandi causa congressibus interesse nullo suffragii ferendi jure.*

§. 4. Excussa homonymia methodi ratio Synonymiam proponere postulat. Vix autem ulla poterit hoc in casu vocula Synonymica reperiri nisi ablegatus ordinarius (Envoyé ordinaire) quem nihil aliud esse quam Residentem ex Furstener *de Supremat. c. 6.* perspicere licet. Sic Carolus Gustavus Sueciæ Rex in litteris ad Deputatos Imperii Francofordiæ, 1658. d. 24. Maji, conjungit residentem & ablegatum extraordinarium : *exposuimus ordine in aulis passim Electorum & Principum primum per Consiliarium nostrum & Residentem Georgium Snoilski, postea etiam Francofurti per nostrum extraordinarium ablegatum, Matthiam Biorenklow.* Distinguendi tamen à Residentibus sunt ordinarii Ambasciatores, qui antiqua loquendi ratione Residentes quoque appellati sunt. Sicuti Franciscus Walsingham in titulo Negotiationibus suis præfixo, Residentem se vocavit, cum tamen Ambasciator ordinarius in Gallia esset. Conf. Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5. pag. 56.*

§. 5. Explanationem nominis sequitur realis definitio, quam crassiore penicillo in genere sic delineare libet: *Quod Residens sit Minister publicus ad perpetuam & assiduam Legationem alicubi obeundam ab illo qui tali modo legandi potestatem habet absque charactere representatio ad sui similem vel etiam inferiorem destinatus, immunitatibus quoque & privilegiis Legatorum gaudens.* Genevis loco *Ministrum* posui, quod vocabulum in curiis nostris jam receptum, præ mandatario congruere existi-

navi: utut enim Kirchner. *de Legat. lib. 1. c. 1. n. 3.* Mandatarii vocabulum accommodatius esse existimet, Jus nostrum in privatum & publicum distinguendo, & ad illud mandatarium in specie referat, ad hoc verò illos quos generali nomine Legatos appellamus; Tamen cum Ministri vocabulum hodie omnibus illis tribui soleat, qui præcipua negotia domini, tam apud exteros, quàm in aula Principis expediunt, illud aptissimum erit; Inprimis cum inter Ministrum & Intimum discrimen factum esse ex *Histor. Minist. Cardin. Mazar. lib. 2. c. 8.* constet: cum alias ante ministri vocabulum, unicum aliquem solum denotaret consiliarium Status, qui apud Dominum suum intimioris esset admissionis. Differentia specifica in illis verbis continetur *ad perpetuam & assiduam Legationem obeundam*, quibus ab extraordinariis quæ plerumque intra breve temporis spatium negotia sua conficiunt, de quibus *c. 1. §. 19.* actum, distinguitur: verba *absque characterè representatio* Residentem ab ordinario Ambasciatore differre insinuant: quid vero per characterem representatitium intelligatur dictum est supra *c. 1. §. 16.*

§. 6, Cognita definitione sequitur divisio Residentium, quos in duo genera dispescere licet, *Regios*, quo illi qui à Coronis, & præpotentibus liberisque Rebuspublicis, quæ Coronarum loco habentur sunt missi referuntur, & *Duales*, quo missi à Ducibus Principibus & rebuspublicis talibus, quæ Ducali honore fruuntur, pertinent. Cum enim Magistri Ceremoniarum nos doceant, & inprimis ex Francisci Sextini libro, cui titulus est, *il Maestro di Camera*, percipere liceat, duo tantum haberi Legatorum genera. Regionum & Ducalium, conf. Eurstener, *de Suprematu c. 44.* Residentes ita distinguere nil prohibebit. Præsertim

tim cum inter Reges & Duces discrimen dignitatis reperiatur, quod inter Legatos eorum quoque observare licet, in audientiis præcipue, cum Romæ Regiis ministris Papa in Atrio Regio (*nella sala Regia*) Ducalibus vero in atrio Ducali (*nella sala Ducale*) aures præbeat: idque Romæ non solum, verum etiam alibi locorum observari, certum est.

§. 7. Originem Residentium quidam ex antiquissimis exemplis *in Historia* obvientibus Legatorum diutius quam alias moris erat in Regum aulis commorantium, deducere cupiunt; sed frustra, cum absque intentione mittentium hoc factum fuerit, atque exempla quæ adducuntur, plane sint singularia, sicut in Legatione Romana apud Antiochum bello durante continua annotat Marsellaër *de Legat. lib. 2. diff. 11.* quin potius perpetuorum Legatorum usum præcis seculis incognitum fuisse ex Hottom. *lib. 1. n. 2.* cognoscere licet: ut adeo verum sit quod Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 1. pag. 8.* annotat, haud ultra ducentos annos esse, quod Principes ministros haberint perpetuo alicubi residentes, qui negotia inter Principes frequentes intercedentia expedirent, atque amicitiam inter eos semel coeptam perpetuo conservarent, neque perspicacibus oculis cuncta observare, Principique suo observata referre obliviscerentur. Dn. Pufendorf *lib. XVIII. hist. Suec. §. 59.* Legati Rosenbanio Residenti injungunt, Gallorum conversatione tantisper abstinere: interea curate observaret, num qua forte alia agitent. Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5. pag. 56.* vocabulum Residentis octoginta ab hinc annis particularem significationem demum adeptum, indicat. Sane prout nihil certi de origine hujus generis Legatorum, deficientibus documentis, statui potest, illi sententiæ, quod tempore Ferdinandi Sa-

gacis, Regis Castiliæ, mitti cœperint Residentes. Conf. Mar-
selaër *de Legat. lib. 2. diff. 11. in f.* tamdiu inhærebimus, do-
nec de meliori postmodum fuerimus edocti; Crescente e-
nim tunc malo diffidentia, inter consanguineos & alios
propinquos, ei præcludendo avertendoque adhibuere præ-
stantissimos viros, quorum studio pariter & consilio in
tempore suspiciones, lites, ac bella consopirentur.

§. 8. Sicuti vero ab eo tempore, ubi Principes com-
modum & fructum ejusmodi legationis perspexerunt, fre-
quentes hujus generis Legati in Principum aulis visi sunt;
ita de admissione eorum, an ex jure gentium sit, an verò
ex pacto partium, magna inter eruditos exorta est contro-
versia. Hugo Grotius *de J. Belli & Pacis lib. 2. c. 18. §. 3.*
n. 2. optimo Jure rejici posse autumat, ex ea ratione: quod
antiquitus cum Legationes assiduæ ignoratæ sint, nihilo-
minus gentes floruerint, nulla necessitate nos hodie ur-
gente ut recipiamus, ex qua tamen jura gentium esse di-
cantur, sed Ziegler. *in Comment. ad b. l. p. 413.* eleganter
annotat; non necessitatem tantum, sed etiam utilitatem
esse causam introducti juris gentium, ita ut sub eo com-
prehendantur omnia illa quæ ad vitæ communis neces-
sitate & commoda, conjungendasque inter se res publi-
cas & gentes, à viris sapientibus excogitata, in usum gen-
tium pervenerunt. Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 1.*
p. 8. hanc Legationem non esse juris gentium, ideo quod
intra ducentos annos demum sit cognita, nec adhuc ab
omnibus gentibus, sed in Europa solum recepta, adeoque
Principem si ejusmodi Legatos non admitteret contra con-
suetudinem quidem agere, non verò jus gentium violare,
existimat. De Labardæo, non tanquam Legato, sed Resi-
dente admittendo Osnabrugæ, anno 1645. acriter disputa-

tum

tum à Suecis, in quorum sententiam denique pertracti
 sunt Galli. Pufendorff. *lib. XVII. de Bello Suecico* §. 98. Re-
 sidentes ex pacto tantum admitti censet Kirchner *de Legat.*
l. 1. c. 2. n. 19. qui ad confirmandam suam sententiam *l. 4.*
C. de Commerc. & Mercator. adducit: ex qua tamen illam
 assertionem: quod Jure Legationis fieri nequeat, ut quis-
 piam diutius in alterius provincia resideat, minime deduci
 posse, cuilibet legem accuratius inspicienti patescit. Lex
 enim de Comitibus Legatorum, Legatione durante mer-
 caturam exercentibus, atque post discessum Legatorum
 adhuc remanentibus agit; quos sub specie Legationis diu-
 tius in provincia residere, mercesque commutare prohi-
 bet, ex ea ratione quod omnia beneficia & privilegia quæ
 Comitibus Legatorum competunt, ex persona Legati & sic
 accessoriè ipsis obveniant. Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 18. §.*
8. n. 1 Quibus amplius absente Principali gaudere non po-
 terunt. Jam de Comitibus Legatorum ad nostros Residen-
 tes, qui principaliter juribus Legatorum fruuntur, nulla erit
 consequentia. Neque etiam Lex ista circa finem sæculi
 quarti lata de re nuper (ut antea dictum) admodum in-
 troducenda, disponere potest. Besoldus quoque *de Legat. c. 2.*
§. 11. ex pacto Residentes admitti censet, quod apud Princi-
 pes ferè utrinque habeantur. Residentes tolerari & Le-
 gatorum jure gaudere ex pacto singulari utriusque partis
 auctor est Sagittarius *in Spec. bon. Legat. c. 3. §. 4.* Ast Kulpis
de Legation. Stat. Imp. c. 2. §. 14. admissionem Residentium
 jure gentium hodie obtinere censet, allatis exemplis & ju-
 diciis Imperantium ut consensus gentium eliciatur, ex quo
 jus gentium vim suam fortiri certum est. Sic Declaratio
 Statuum Hollandiæ Westfrisiæque Anno 1651. d. 29. Martii
 publicata, quam exhibet Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1.*



sect. 27. pag. 384. horum admisionem atque inviolabilitatem juris gentium sanctionibus adscribit. Sane sicuti consuetudines quaedam inter cultiores gentes, tacito quodam consensu, usurpari solitæ sub vocabulo juris gentium veniunt Pufendorff *de J. N. & G. lib. 2. c. 3. §. 22.* Placcius *Instit. reconcin. §. 2. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* ita admisionem Residentium inter illas comprehendi nullum est dubium. Exempla admissorum Residentium qui desiderat aulas præsertim potentiorum Principum, magnasque civitates percurrat, ubi magnum eorum numerum reperire poterit. Sic Cæsarei Residentes Hagæ, Hamburgi, in aula Turcica & Hispanica: Gallorum tempore pacis Viennæ & in plerisque aulis subsistunt. De Imperiali consiliario & Residente Lisola passim in aulis admissio, publica acta testantur tempore belli Sueco-Polono Danici. Et quamvis Henricus VII. Rex Angliæ perpetuas Legationes maxime averfatus sit, nullosque Residentes in aula sua comorari permiserit, ut habet Gentil. *2. de Legat. c. 12. in f. utut sapientissimum regem aliter describat sub finem vitæ illius p. m. 393.* tamen hodiernis moribus Reges Angliæ ab illa Philosophia Henrici secessum fecisse, nec minus quam cæteros Reges & Summas potestates Residentes admittere experientia comprobatur. Sic *Sabram* Galliarum Regis Residentem Londini extitisse ex *Wicquefort de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5. pag. 59.* percipere licet. Negari equidem nequit, initio, cum ejusmodi Legationes assiduæ introducerentur, unicuique imperantium liberum fuisse pro facultate qua pollet in Regno ac territorio suo, eas vel admittere vel rejicere: Præsertim cum Princeps non teneatur pro publico habere ministro, qui inusitata præditus est appellatione *Kulpis de Legat. Stat. Imp. c. 3. §. 7. in f.*
quod

quod exemplo statuum Hollandiæ novum genus Legatorum nomine *extraordinariorum Deputatorum* introducere volentium comprobare licet, qui tamen nullibi nisi in ipsa Hollandia admittuntur *Wicquefort de l' Ambassad liv. 1. sect. 5. pag. 64.* Sed postquam Principes mutuis factis approbarent has Legationes assiduas, & easdem obeuntes in numerum & consortium cæterorum Legatorum recipe-
rent, privilegiaque jure gentium his competentia illis applicarent, non amplius ipsorum arbitrio hæc facultas relicta est, sed quod primum nudæ voluntatis esset, in mutuas præstationes hodie emerfit, ut adeò admissio Residentium mutuo cultiorum Populorum consensu in vim juris gentium videatur hodie evaluisse *Textor cap. 1. de Jure Gent. n. 21.* & hic applicandum sit quod de Legatis in universum *H. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 18. §. 2. n. 1.* monet, non omnes admitti præcipere jus gentium: vetare tamen sine causa rejici. *conf. B. Dn. Ziegler. 1. de Jur. Majest. cap. 32. n. 11.* Postquam enim frequentiora inter Principes intercedunt negotia ad quæ expedienda semper de novo Legatum mittere & incommodum & sumtuosum foret, hisce molestiis per Legationes assiduas omnium optimè obviam iri posse, existimo: neque in contrarium me movet quod *Marselaër de Legat. lib. 2. diff. 11.* ab ordinario & continuo Legationum instituto plus damni quam commodi, plus turbarum quam quietis esse, autumet: cui consentit *Paschal. de Legat. c. 77.* qui effœta virtutis, fœcunda fraudis nostra secula hunc partum produxisse asserit: Residentes speculatores & alienæ perfidiæ autores vocat, quæ tamen de abusu, manente interim usu, maxime sunt intelligenda; cum regulariter rei innoxia vitia hominum non sint imputanda.

CAP. III.

QVINAM RESIDENTES MIT-
TERE POSSINT.

S V M M A R I A.

- §. 1. Residentes mittere possunt, qui Jus Legationis habent,
 2. Veluti Imperator in Imperio. 3. Electores & Principes
 tam Ecclesiastici quam seculares. 4. Libere Civitates Im-
 perii. 5. Qu. an Civitatibus Hanseaticis quoque compe-
 rat? 6. Pontifex Romanus quomodo mittat Legatos. 7. Re-
 ges Residentes mittere possunt. 8. Sicut & Reginae. 9. Quan-
 doque præcipui regnorum administræ. 10. An Rex in capti-
 vitatem deductus regnoque privatus Residentem habere pos-
 sit? 11. Respublice libere Residentes habere possunt. 12. Tur-
 carum Imperator itemque Magnus Dux Moscoviæ Residen-
 tes non alunt. 13. Quibus concessum non est Residentibus
 uti.

§. 1.

Hic ab initio Regulæ loco tenendum est: Omnes illos
 Residentes habere posse, quibus Jus mittendi Legatos
 competit, unde illorum consideratio maxime erit institu-
 enda. Equidem cum juribus Majestatis, aut regalibus ma-
 joribus accenseatur cum exteris agere per Legatos, eos-
 que recipere Besold. *lib. 1. Pol. c. 4. n. 29.* Ziegler *1. de Jur.*
Majest. cap. 32. §. 2. Illi qui summæ rerum præsumt mitten-
 dorum Legatorum potestatem habebunt: Inprimis cum
 nullum aliud insignius Libertatis Symbolum haberi pos-
 sit, quam Jus Legationis Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1.*
sect. 1. Exercent vero summum Imperium; Princeps in
 Monarchia, in Aristocratia Optimates, in Politia populus,
 in

in Statu mixto ii quibus hoc Jus, τὸ κρείσσον, supremum re-
rum iudicium est concessum.

§. 2. In Imperio nostro Romano Germanico Impe-
rator, qui mundi Dominus dicitur in l. 9. ff. ad L. Rhod.
de jact. Legatos nomine Imperii mittit; ubi tamen notan-
dum, si per illos Legatos agat de re non in sua solius po-
testate posita sed ordinibus communi & comitialiter defi-
nienda, Legatos cum totius Imperii consensu mittendos
esse Lampad. de Rep. Rom. germ. part. 3. c. 20. §. 1. si scil. fœ-
dera Imperii nomine ineunda sint, Bellum indicendum, aut
pax concludenda, & in genere si Legatio negotiosa fue-
rit Kulpis de Legat. Stat. Imp. cap. 5. §. 5. Quamvis invictis-
simum nostrum Imperatorem Leopoldum non modo ad
tractatus pacis Neomagensis, sed & postmodum pro ejus
conservatione Legationes instituisse: Imo Legationem ad
Regem Galliæ A. 1681. solum Imperatorem decrevisse, po-
stea tamen ad tractatus Francofurtenses Legationem etiam
ab ordinibus adjungi curavisse referat Jacob. Bernhard.
Mulz. in Representatione Majestatis Imperatorie part. 11. cap.
21. Membr. 3. §. 2. n. 56. & 57. Alias in officiosa Legatione
ipsi omnino liberum est totius Imperii autoritate Legatos
mittere: Sicuti Ferdinandum II. Anno 1619. Thronum Im-
perialem conscendentem, electionis suæ indicandæ gratia
Legatum ad Reges Daniæ & Angliæ solum decrevisse con-
stat, ac mandati litteras & instructionem exhibet Lundorp.
Act. Publ. T. 1. lib. 3. cap. 84. 85. p. 709. Cumque jam in ejus,
qui plenum Jus Legationis habet, potestate sit, an primi,
an vero secundi ordinis Legatos mittere velit Wicquefort
de l' Ambassad. liv. 2. sect. 3. pag. 32. Imperatori Residentes
ablegare omnino liberum erit: De Francisc. Eusebio comite
à Poettingen in Poloniam ablegato, Pastorius in Laurin

Actor. litt. C. p. m. 24. Imo præterquam quod Romæ & Madriti Ambasciatores suos habet, in cæteris Principum aulis ut plurimum Residentes alit Wicquefort *de l' Ambass* liv. 1. sect. 2. pag. 12.

§ 3. De Electoribus & Principibus quoque dispiciendum est. Sunt illi vel Ecclesiastici vel Seculares. Ecclesiastici sane quatenus Ecclesiastici hoc est Clerici sunt, quibus secularia negotia tractare non permittitur, Legationis Jus habere nequeunt: Sed cum in Imperio nostro Germanico hodiernis moribus Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates &c. non saltim clerici sint, verum etiam Principes Imperii juxta habeantur, insimulque regalia & Jura secularia usurpent, Jura Legatos mittendi, Residentesque habendi ipsis denegari non poterunt. Sicut Secularibus Electoribus & Principibus, cum in territoriis suis summæ rerum præsent de causis ad territorium suum spectantibus, per Legatos agere omnino liberum est. Kirchner. *de Legat. lib. 1. c. 3. n. 11. & seqq.* Paschal. *c. 11. de Legat.* & quanquam quod ad Principes Imperii attinet, controversia aliquando ipsis mota fuerit de non habendis primi ordinis Legatis, (quam elegantissimo scripto *de Suprematus Jure & Legationis Principum Germaniæ* sufficienter exposuit, Juraque Legationum Principum Germaniæ invictis deduxit argumentis laudatus optimis quibusque Furstenerius) tamen illos plenum Jus Legatos mittendi habere nullum est dubium Textor *cap. XIV. de Jure Gent. n. 16.* ut adeo an Principes Residentes habere & mittere possint frustraneam esse quæstionem asserat Kulpis *de Legat. Stat. Imp. c. 10. §. 9. in f.* conf. Wicquefort *de l' Ambassadeur liv. 1. sect. 4. pag. 51.*

§ 4. Eodem Jure cum Principibus etiam liberæ Imperii

perii civitates fruuntur, Gail. 2. *obs.* 52. n. 7. cum & his Regalia competant Besold. *in discurs. de Stat. Reip. Subaltern.* c. 5. ac Iura territorialia die *Lands Ober-und Herrlichkeit* in suis ditionibus Hahn. *de Legat. th.* 60. nec non Ius belli & foederis habeant A. B. c. 15. §. 1. ex quo Ius Legatos mittendi sequatur necesse est: concessio enim sine media ad finem ducentia concessa intelliguntur *arg. l. 2. ff. d. Jdict.* quin Legati Casarei in conventu Monasteriensi civitatum Imperialium vocationem ad tractatus pacis, & legationem admittunt propterea, quod ipsis Ius comitiorum sit ac suffragii Dn. Pufendorff. *XVII. Hist. Suec.* §. 40. Has itaque Residentes quoque habere posse nullum est dubium. Quamquam autem hoc Ius ab illis in actum deductum haud sciam, propter negotia forte, quæ illis non tam varia ac perpetua, sic ut Principum esse solent: Tamen facultati Residentes habendi non præjudicabit, cum Majestatis Jura, inter quæ Residentes habendi facultas numerari debet, etiam ubi non usurpancur, tamen adhuc competant, ac intermissum eorum exercitium facultatem tollere nequeat, unde istiusmodi missiones cum rebus, quas in Iure privato meræ facultatis appellamus, comparare haud incongruum erit; quarum præscriptio absque intercedente prohibitione & subsequente patientia non procedit. *l. 18. §. ult. ff. quemadm. servit. amitt. ibique Dd.*

§. 5. De Civitatibus Hanseaticis hic quæri solet, an illis quoque competat Ius mittendi Legatos? & illud Collegium mittere posse Legatos statuit Bort. ap. Arum. *J. P. tom. 1. disc. 14. §. 8.* ubi contra Waremundum ab Ehrenberg privilegia ac Iura hujus collegii mascule defendit. Ad datur Ziegler. *lib. 1. de jur. Majest. cap. 32. §. 8.* Nec desunt exempla in historia obvientia, quod Imperatores & Prin-

cipes Legatos ad illud collegium miserint, atque ab eo gratiose receperint. Sicuti de variis Hanseaticorum Legationibus ad Moschos, Anglos, aliosque Reges videri potest Marquardus *ii. de Jure Commerc. cap. VII. dissent. Kirchn. lib. 1. de Legat. c. 3. n. 56.* cujus sententiam secutus est Bened. Carpzov. *Comm. ad L. Reg. German. c. 7. sect. X.* Sane Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 2. p. 23.* abjecte satis de hoc foedere loquitur, dum illud nihil aliud fuisse quam collegium Mercatorum asserit, idque cum illa societate, quam Belgæ in Orientali & Occidentali India mercandi gratia (vulgò die *Ost- und West-Indische Compagnie*) instituerunt, comparare studet: Summa tamen manente differentia, quod hæc societas inita sit à privatis hominibus, qui ut ipse Wicquefort loquitur *n'agissent que sous le nom de l' Estat qui les protege*: Foedus vero Hanseaticum partim constet ex civitatibus Imperialibus Iure Majestatico & territoriali gaudentibus, partim ex Civitatibus Municipalibus aut mixtis, quæ vel ex concessione Principis vel præscriptione idem Ius cum Civitatibus Imperialibus sibi acquisiverunt. Mevius *quest. 2. prelim. n. 31. seqq. ad Jus Lubec. Befold. de Jur. foederum c. 3. §. 11.* Conringius in manuscriptis annotatis *ad c. VII. Lampadii Part. III. de Repub. Romano Germanica*, non aliter quam *de Urbibus German. n. 98.* docet quod hoc foedus ab initio percussum sit, ad commercia promovenda ac defendenda maritima: postquam vero piratarum multitudo creverit, statuit aliam naturam illud foedus induisse, & factum esse *συμμαχικόν*, ita tamen ut non omnes urbes in hoc ipsum reciperentur, sed quædam concurrent tantum ad libertatem communem protegendam. Certe si Civitates Hanseaticæ, junctim consideratæ Ius belli & foederis habent, prout quamplurimis exemplis confirma-

vit

vit ex Raschii *dissert. de Legat. & Legation, th. 26.* Besold. *de Legat. eorumque Jure c. 3. §. 4.* Ius Legationis ipsis denegandum haud esse satis patet. Neque officere videtur, quod quidam afferant, hanc societatem quoad nonnullas civitates conjunctionem & Rebellionem quandam sapere, cum multæ civitates in ea contineantur aliorum Imperio subjectæ, neque Regalia à Cæsare Imperiove habentes & superiorem Magistratum præter Cæsarem agnoscentes, adeoque Legationibus uti non posse: Præterquam enim quod probabile omnino est, Principum tunc temporis, cum initium hoc foedus caperet dominationi non ita studentium tacitum consensum intervenisse; Ezardus Ostfrisiæ Comes Anno 1579. Embdam Civitatem suam participem hujus foederis fieri postulavit, quod & Principes alios dubio procul fecisse existimat Besold. *de jure foederum cap. 3. §. 11.* ut proinde licet Civitates Municipales præter Imperatorem alium adhuc Magistratum agnoscant, interveniente tamen superiorum vel expresso vel tacito consensu in societatem Hanseaticam licite se conferre potuerint. Neque saltim à principibus quibusdam hanc societatem approbatam esse legimus, verum etiam Imperatorum consensum ex eo elicere licet, quod, cum Civitas Brunovicensis foedere illo Anno Christi 1377. exclusa esset, Carolus IV ut iterum reciperetur, autoritate sua perfecit Crantz *lib. 9. Wandal. c. 7.* ac Civitas Coloniensis primaria alias foederis hujus sociata tempore Friderici III. ex Hansa ejecta intercessione hujus Imperatoris & Archi-Episcopi Coloniensis iterum suscepta fit. Crantz. *l. 15. Wandal. c. 27.* nec non in Recessibus Imperii Hanseaticarum Civitatum fiat mentio. Kulpis *de Legat. Stat. Imp. c. 4. §. 11. & in Instrumento Pac. art. 17. §. 10.* sub pacificatione quoque comprehendantur: Addatur Hi-

Storia Pacis Westphalica, ex commentario Altenburgensium Legatorum *lib. 2. n. 4.* Dn. Pufendorf *XVII. Hist. Suec. §. 45.* Immemoriali quoque tempore cum Regalia præscribi posse communis sit opinio *cap. 26. X. de V. S. Gail. 2. O. 31. n. 4. §. 1. O. 21. n. 16. §. lib. 1. de P. P. cap. 6. n. 11.* Struv. *Syntagm. J. Civ. Exerc. 43. th. 24. n. 5.* Eckhold, *ad tit. de Vsurpat. §. Vsurp. cap. §. 25. n. 12.* Civitates Hanseaticæ utpote quæ ultra quadringentos annos Jus Legationis usurparunt prouti Chytr. *Chron. Sax. fol. 671.* & Thuan. *Histor. lib. 39.* testantur, hoc fulcro inniti poterunt. Et quamvis umbra tantum earum hodie supersit, Kulpis *de Legat. Stat. Imp. c. 4. §. 11.* & de 72. civitatibus ex quibus societas hæcce constabat tres tantum sint residuæ Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 2. p. 23.* tamen eas adhuc hodie jure mittendi Legatos gaudere, dubitari nequit, cum etiam collegii jura in uno conserventur *l. 7. §. ff. quod cujusque univers. nom.* Cum igitur Jus Legationis hisce civitatibus competat, liberum quoque ipsis erit Residentes habere, ex vulgato axioma; Cui id quod majus est licet, eidem quoque quod minus est licebit *l. 31. ff. d. R. J. c. 53. de R. J. in 6.*

§. 6. Consideratis illis qui in Imperiū Germanici districtu potentia Legatos mittendi & per consequens Residentes habendi præditi sunt, reliquum est ut ad cæteros, qui ex supremæ potestatis Jure Legatos mittendi facultatem sibi vendicant, nos conferamus. Vbi si antiquiora Romæ urbis tempora inspiciamus, patebit tunc temporis Legatos mittendi Jus neminem Pontificum habuisse; contenti enim erant divinarum rerum dominio, spretis humanis rebus atque seculari Jurisdictione, quam ut Clerici appetere, aut potestati politicæ se immiscere non poterant; Insecutis vero temporibus omnia in pejus ruere cœperunt, Pontifices sub præ-

prætextu regiminis Ecclesiastici turpiter regna & Principatus hujus mundi invadentes Jura territorialia, ac principum privilegia sibi vindicarunt: Quibus per varias artes atque machinationes obtentis, res ac fortunæ Pontificum Romanorum in eum venerunt statum, ut hodie Princeps summus sit & absolutus, cui Jura omnia pro arbitrio serviant; ut proinde potestas atque facultas Legatos emittendi ipsis haud dene-ganda sit: Addatur Edvini Sandis *Relatio de Statu religionis*, prudenter & ex mera experientia facta *cap. VIII. item cap. XXXIII.* Affirmare autem ausim neminem Principum Legatorum suorum classes tam curiose distinguere, quam Pontificem Romanum: Qui specialioribus nominibus illos & inter se & ab aliorum Principum ministris secernit. Auctor des Cardinal *Huts part. III. cap. VI.* Quidam enim dicuntur emanare ab ipso fonte, quidam non emanare sed constitui, quidam nec emanare nec constitui sed officium habere dignitati connexum. Zieglerus: *de Jure Majest. cap. 32. §. 4.* Prioris generis vocantur *Legati à latere* quod nomen ex usu Romanæ Ecclesiæ solis competit Cardinalibus *conf. c. 20. X. de Sent. Excomm. c. 8. & 9. X. de Offic. Legat.* qui ideo vocantur *Legati à Latere* quod de Latere Papæ, cui in arduis ac gravioribus negotiis, consilio suo assistunt. *c. 13. X. qui fil. sint legit. c. 4. X. de dilat.* cum amplissima auctoritate provinciæ administrandæ, pacis inter Principes stabiliendæ, aut majorum consiliorum causa mittantur. His abiturientibus Pontifex crucem signum Jurisdictionis Ecclesiasticæ tradit, cum vices ejus in Regno vel provincia sibi commissas gerant, sintque quasi Judices delegati. Besold *de Process. Judiciar. c. 2. §. 4.* hanc ubi 40. milliaria ab urbe Roma absunt demum libere præ se ferendi potestatem habent Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 10. pag. 105.* eamque tanquam
Le-

Legationis Apostolicæ Insigne anno 1554. primum Angliæ Regum permissu prælata fuit Cardinali Reginaldo Polo Angliam ingredienti Thuan. *Histor. lib. 13.* De cruce Patriarchis præferri solita Lancellottus *1. Instit. Can. tit. V. §. 1.* ibidemque Zieglerus p. 30. Tanta autem est Legatorum de Latere autoritas, ut nemini in ædibus suis nisi Regibus cedant. Freinshemius *diatribe IV. de præced. Cardin. §. 12.* Potestatem illorum describit Wicquefort *d. l. que ces Legats font de Protonotaires apostoliques, de Chevaliers, & des Docteurs entoutes les facultés: Ils legitiment aussy des Bastards & ont plusieurs autres pouvoirs.* Reduces facti solenni pompa Urbem introire ipsis permittitur, ubi crucem Pontifici reddunt. Secundi generis qui non emanant ab ipso fonte sed constituuntur, vocantur *Nuncii Apostolici*, cum à sede Apostolica specialiter mittantur: Eleganter de his M. Anton. de Dominis *IV. de Rep. Eccles. cap. XII. n. 21.* sunt eodem loco, quo Regum legati in curiis principum, pro negotiis tractandis secularibus & indagandis. *Si optimo nomine insigniamus, sunt Oratores, sin autem vero cognominemus, sunt exploratores.* Hi Cardinalatus dignitate non fulgent, adeoque non sunt de latere Papæ (interdum tamen Pontifex quosdam mittere solet, adjecta in eorum mandatis hac clausula, *cum potestate Legati à Latere*: quæ de Stylo Curia Romanæ consuevit adjici mandatis Legatorum, qui fimbriam vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo mandatum vivæ vocis oraculo receperunt uti loquitur *Speculat. tit. de Legat. §. sequitur, in pr.*) Sed plerumque Ecclesiis papalibus summa cum auctoritate præsent; & à Pontifice Romano nunc ad Principes, nunc ad cæteros in eximio gradu magnitudinis constitutos destinantur; ut negotia non ita maxima expediant, inque causis levioris momenti solvendis prudentiam suam

suam exerceant. Posterioris generis qui nec emanant, nec constituuntur, sed officium habent dignitati connexum, sunt *Legati nati*, qui scilicet eo ipso quo Ecclesiis gubernandis præficiuntur & præsules creantur, Legati Apostolici nomen & dignitatem consequuntur. Sicut Anglia tales Legatos natos habuit Cantuariensem *c. 1. X. de Off. Legat.* & Eboracensem *c. 1. X. de Appellat.* Patria nostra Archiepiscopum Magdeburgensem, primatem Germaniæ, in cuius locum successisse Salisburgensem tradunt Doctores: Sprengerus *in delineat. Statuum p. m. 310.* quamvis alii, ratione legationis, ipsum jam Henrici IV. tempore hoc munus adeptum esse velint. Alius honor est *primatus*, itemque *Jus metropoliticum*. Gallia Rhemensis, Hispania Toletanum; Hungaria Strigonensem, Italia Pisanum, Polonia Gnesnensem &c. Hæc Legatio dicitur realis & perpetua, quod dignitati inhæreat, quæ perpetua est *c. 14. quoniam Abbas X. de offic. & pot. Jud. deleg.* & ideo morte Legati non expirat, multo minus morte Papæ. Pet. Andr. Gambs *de Autor. Legat. de Latere in Exord. n. 24.* Plura de Legatis Pontificum videri possunt apud Nicol. Boërium *de potest. Legat. de Latere n. 9. cum seqq.* Besold *de Jure Legatorum c. 2. §. 2.* Hahn. *de Legat. Th. 35.* Marselaër *de Legat. Lib. 2. Diff. 1.* Atque hi omnes sunt Legati primi ordinis: Residentes ministros secundi ordinis stylius curiæ Romanæ non agnoscit; saltim Internunciis, qui Pontificis Alegati extraordinarii sunt, quandoque utitur Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 10. pag. 115.*

§. 7. Reges præterea prout quique summa pollent potestate, hoc jure uti possunt: Sic in Galliæ, Hispaniæ, Sueciæ ac Daniæ regnis Jus Legationum ab arbitrio Regum dependere nullum est dubium: & in specie de Galliæ Rege ex Kirchn. *Lib. 1. de Legat. c. 3. n. 22.* Sagittarius *in Spec. boni*

Legati c. 2. §. 3. refert illum Jus Legationis sibi soli reservasse, cum Regalia Ducibus suis atque Principibus non concesserit. Sanè ipsum ubivis ferè locorum Residentes suos alere experientia testatur, & imprimis notari meretur, quod in Aula Imperiali Viennæ Residentem saltim habeat ministrum ob æmulationem & competentia litem cum Hispano. Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. I. Sect. 5. pag. 52.* In regno Daniæ solius quoq; Regis omnium Regalium usurpationem, & Legationis mittendæ potestatem esse Kirchner *de Legat. Lib. 1. c. 3. n. 23.* habet.

§. 8. An Regina Legatos mittere possint, quæritur? Equidem illas, quæ ex matrimonii radio Reginae sunt, non Legatos, sed tantum nuncios habere posse certum est, quamvis interdum consiliis, honoris ergo, admoveantur, quod Justinianum nostrum ex *Nov. 8. c. 1.* & veteres Germanos ex *Tacit. de Morib. Germ. c. 8. n. 3.* in usu habuisse constat. Illæ vero foeminae ad quas hereditario Jure regnum devolutum est, dum in coelibatu permanent moribus Gynæocratia ubi in manibus mulier summum habet Imperium, Legationis jure uti poterunt. Sic Elisabetham Angliæ Reginam Anno 1585. Comitem de Licestre ad foederatos Belgii ordines misisse Wicquefort *de L' Ambassad. Liv. 1. Sect. 2. p. 13.* & Christianam Sueciæ Reginam anno 1652. quatuor Ambasciatores ad congregationem Lubecæ habendam denominasse Id. Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 23. pag. 323.* refert. Quin & illæ quæ in matrimoniis obeundis sibi prospiciunt, & his legibus viro nubunt, ut penes sese Majestatis & Imperii Jura, non penes Maritum remaneant: Quibus pactis matrimonium inter Isabellam & Ferdinandum initum testatur Bodin. *lib. 6. de Rep. c. 5.* ex consuetudine Gynæocratia Legatos mittendi potestatem habebunt, non minus ac illæ
quæ

quæ extra tori vinculum Gynæocratiam exercent. Quas omnes quatenus Legationis Jure gaudent, Residentes quoque habere posse constat.

§. 9. Neque vero Reges tantum ac Reginas mittere Legatos, itemque Residentes, sed & præcipuos regnorum administratos, ex plenitudine tamen sibi concessa, Grotii exemplo docemur, qui ab Oxenstierna in Galliam legatus est. Ita enim *Epist. 364.* ad illum perscribit: *Sextus jam dies est cum huc ad me venit Regis admisionalis, Comes Brunolonus, ac scire voluit quo nomine advenirem. Dixi Serenissime Reginae Suedorum legatum ex potestate Illustrissimæ Excellentia vestra concessa. Disputare cœpit ac dicere, nunquam admissos olim Legatos, quos misisset Dux Maynius, potestate Regis Hispania instructus. Quin & imitatione horum Plenipotentiarum reliqui libere Residentibus mandant, eosque mittunt, qua parte necessitas postulet vel interesse Principum, videndus Dn. Pufendorf *XVII. bist. Suec. §. 98. it. XVIII. §. 59.**

§. 10. Reges in captivitatem deducti & regno privati an nihilominus Legatos mittere possint, quæstionis est? Hos cum aliis regni bonis & Jus Legationis amisisse docet Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 18. §. 2. n. 2.* ast cum Jus regni penes ipsos (Reges scil. regno pulsos) maneat, utcunque possessionem amiserint; Sicuti ipse Grot. *lib. 2. c. 16. §. 17.* asserit; vi enim dejectus perinde habetur ac si possideret Simon. *in not. b. l.* sane non continuo Majestatem amittent, qui regno exuti sunt, & per hanc Jus Legationis, præprimis si spes recuperationis supersit Ziegler. *ad Grot. pag. 412.* ac proinde Residentes quoque habere poterunt.

§. 11. Rebus publicis liberis, cum illæ per omnia Regibus æquiparentur, atque vi superioritatis omnia possint,

quæ Principes Legatos quoque mittendi potestas deneganda haud erit. Inter quas Venetorum Respubl. inter liberas hodiernas antiquissima, quæque Majestatica Jura à longissimis temporibus quiete possedit, eminet. *Nulla enim, ut ait Nic. Bellus Respubl. memoratur, quæ tanto temporis spatio ultra mille scil. annos libertatem suam tam integram ac illibatam conservaverit.* Hæc Respubl. semper in id incubuit, ut pax inter potentes Europæ Principes conciliaretur, conciliataque conservaretur: Sicuti Mediatrix inter Imperatorem & Regem Galliæ in Pacificatione Monasteriensi extitit, nunquam enim consilia ejus difficillimis Christiani Orbis temporibus publicæ salutis & quieti defuere. *Instrum. Pac. Casar. Gall. in pr.* Ambasciatores plerumque mittit ad Pontificem, Imperatorem, Regem Galliæ & Hispaniæ: Sæpissime tamen quoque ministris secundi ordinis utitur, quos ex civibus plerumque; rarissime ex nobilibus sumit. *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 2. pag. 14.* Respubl. confœderatorum Belgarum, quæ in plenissimam libertatem demum collocata est per Instrumentum pacis inter Catholicum Hispaniæ Regem & confœderatos Belgas anno Christi 1648. factum, vigore assertæ libertatis Jure Legatos mittendi, data occasione, uti non intermittit. Sicuti ordinarios suos Ambasciatores in Gallia & Anglia pacis tempore alit; ita in cæteris Europæ aulis Ministros secundi ordinis habet. *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 2. pag. 15. it. Sect. 5. pag. 53.* Respublica Helvetiorum postquam in plenam se asseruit libertatem, Imperii que legibus subdaxit; cum sit absoluta rerum suarum domina, quocumque velit Legatos mittere potest: de hac Repub. notandum, illam nullibi locorum ordinarios Legatos aut Residentes habere, quamvis cæteri Principes apud ipsos habeant suos ministros. *Wicquefort de l' Am-*

l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 2. pag. 15. Reliquæ respública libe-
 ræ, qualis est *Genuensis*: Quæ propter Regnum Corsicum
 quod possidet, pro Duce suo Coronam Regiam anno 1637.
 ab Imperatore Ferdinando II. Impetravit. *Schütz de statu
 Rei Rom. Vol. 1. Diff. 8. Th. 8. lit. a. ex Theat. Europ. p. 3. pag. 812.*
Lucensis, quæ ob arctum territorium a quibusdam per jo-
 cum republ. formicarum & Italis *Republicetta* dicitur; &
 quamvis Ducatui Urbinensi fere inclusa sit, tamen liberta-
 tem suam magni æstimat, ipsamque Venetorum Rempubli-
 cam charissimam Sororem appellare gaudet. *Becmannus
 Histor. Orb. terrar. part. 1. cap. 8. Sect. 2. §. 6. & Ragusensis*,
 quæ sub protectione Imperii Turcici, cui quotannis 2000.
 Cechinos solvere necessum habet *Laz. Soranz de reb. Tur-
 cic. c. 48.* jure suo utitur; facultate quidem legatos mit-
 tendi gaudent, attamen Ordinarios Ambasciatores aut Re-
 sidentes in primariis Europæ aulis non habent, nisi quod res-
 publ. Genuensis quandoque secundi ordinis ministrum in
 Galliam aut Hispaniam ableget. *Wicquefort de l' Ambassad.
 Liv. 1. Sect. 2. pag. 16.*

§. 22. De Turcarum Imperatore & Magno Du-
 ce Moscoviæ notandum, ipsos quidem Ambasciatores
 suos & Ministros ad alios Principes mittere, aut qui per-
 petuo resideant non habere. Sic de Turcis in specie inquit
*Wicquefort Liv. 1. de l' Ambassad. Sect. 2. pag. 16. La porte
 admet les Ministres de tous les autres Princes, & s'en fait
 bonneur; faisant croire que c'est une espece d'hommage
 qu'on luy rend, pendant qu'elle n'entretient personne dans les
 autres Cours, où elle n'envoye que ses Chiaux, qui n'y font
 point de sejour.* Neque Turcæ aliorum Principum mini-
 stros perpetuò apud se Residentes ante abitum parare per-
 mittunt, quam alios successores reliquerint, aut saltim pro-

miserint se effecturos, quo Principales prima quaque occasione successores denominent. Wicquefort *d.l.*

§. 13. Vidimus de illis qui Legatos mittere & per consequens Residentes habere possint; Jam dispendium erit de hisce, quibus Legatos mittere ac proinde Residentibus uti concessum non est. Participes autem Juris mittendi Legatos non sunt Cardinales; qui quamvis Regibus se pares esse jactitent, & exinde præcedentiam præ Electoribus nostris prætendant vid. diatribe Freinshemii *de Præcedentia Electorum & Cardinalium*. Tamen inter omnes prærogativas dignitatibus ipsorum connexas Jus Legationis reperire non licet: ut itaque ministri ipsorum si quibus apud Principes utuntur, saltem pro privatis habendi sint. Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 2. pag. 18.* Neque in reductis ad Apostolicam imaginem Ecclesiis Superintendentes in Germania & Episcopi in Dania, Suecia & Anglia, alibique sacri verbi antistites, cum principum Jura non habeant, Legatos mittere possunt Kirchn. *de Legat. Lib. 1. c. 3. n. 37.* Deinde hoc jus civitatibus municipalibus haud conceditur Lampad. *de Rep. Rom. Germ. p. 3. c. 20. n. 2.* cum privatorum loco habeantur *l. 16. ff. de V. S.* Nec Rebelles & Seditiosi Jus Legationis habent: nam Principi in subditos suos refractarios eadem manet auctoritas atque jus salvum, quod Dominus in servum fugitivum retinet *t. t. ff. de fugitivis* prouti nec Rebelles subditi sublimè hocce Jus quod antea non exercuerunt, delinquendo sibi acquirere possunt Alber. Gentil. *de Legat. lib. 1. c. 7.* Quod si tamen princeps eorum deputatos admiserit, ipsisq; salvum ut appellant conductum concesserit, ab omni injuria tutos illos conservare debet; cum etiam Rebellibus fides sit servanda Joachim. Cluten. *de hereticis*, peculiari tractatu,

etatu, Jacob. Schultes Jure-Consultus Saxonicus, in hac quaestione ex utroque jure determinata, item Joh. Molanus *de fide haeret. servand. lib. 4. per tot.* alias enim si contrarium fieret, omnia media excusationis & reconciliationis Rebel- libus adimerentur Besold. *de Legat. c. 3. §. 5.* Hisce conjun- gendi sunt banniti, qui cum omnia privilegia & Jura digni- tatum regaliaque amittant Gail. *lib. 1. O. 1. n. 38.* hoc etiam retinere in Imperio ex quo proscripti sunt, & plane quasi ci- viliter mortui, nequeunt, cum exteris tamen jus Legatio- nis salvum ipsis permanet. Kirchner. *de Legat. lib. 1. c. 3. n. 81.* Ab hoc jure excludendi quoque sunt Praedones & Piratae, non nisi ad hominum perniciem nati; hi enim legitimorum hostium numero non censentur *l. 24. ff. de captiv. & postlim.* ac proinde eorum missi puniri poterunt, cum non ut Lega- ti sed ut scelerum administri & socii habeantur. Sic Rudol- fus I. Imperator Latronum Thuringorum nuncios compre- hendere & punire jusfit. Kirchner. *de Legat. lib. 1. c. 3. n. 78.*

CAP. IV.

QVI

RESIDENTES ESSE POSSINT,
TVM AD QVÆNAM NEGOTIA
ADHIBEANTVR.

S V M M A R I A.

- §. 1. Residentes esse possunt, quibus postulare permissum. 2. Ar- centur itaque foeminae. 3. Infames. 4. Et Judaei. 5. Prin- cept diversa religionis Residentem habere potest. 6. Subditus Principis extranei apud suam Dominum Residens esse potest. 7. Non vero Consiliarius in aula Principis, aut Syndicus in ci- vitate. 8. Ecclesiasticae personae officium Residentis quoque sus- cipere possunt. 9. Princeps summa cum cura eligere debet il- lum quem ad subeundum Residentis officium destinavit. 10. Qua-

los

lis Residentens esse debeat, & an Principem peregrè abentem sequi teneatur? 11. An Residentibus ministros ejus apud quem resident corrumpere liceat? 12. Ad quenam negotia Residentes adhibeantur.

§. 1.

Postquam hæcenus vidimus qui Residentes habendi facultate præditi sint, sequitur ut videamus, qui hoc munere defungi possint: ubi sciendum, quod sicuti unicuique facultate Residentes habendi prædito liberum est quemcunque velit ad perpetuam hanc Legationem obeundam sufficere; ita quoque summa cura attendere debet, ut eligat talem qui ejus sit conditionis, cui nihil opponi possit, quod eum ab illustri hac sparta arcere queat. Jure Civili illi munere Legatorum fungi non possunt, quibus postulare est interdictum *l. 4. §. 1. ff. de Legation.* Quod certo modo ad Residentes nostros extendere nil prohibet, ut adeo Residentes esse nequeant, qui postulare non possunt; quia cum etiam privatorum desideria in Jure coram eo, qui Jurisdictionem habet, exponere prohibentur, nulla ratione principum ac Rerumpublicarum mandata publica exequi poterunt. Et quia ætatis intuitu tam postulantes, quam respondentes de Jure conveniunt invicem; addantur quæ de his observavit Menagius *cap. 2. Amænit. Juris Civil.*

§. 2. A postulando qui excludantur, indicat *l. 1. §. 5. cum seqq. de postulando* in quorum numero Fœminas recenseri videmus, quas Residentes esse non posse constat: Quamvis enim aliquando Legationis munere utiliter defunctas esse tegamus, tamen ex singularibus hisce casibus universalem regulam formare non licet. Nam si fœminas inter viros versari pudor naturalis haud permittit, *l. 14. C. de contrah. & committ. stipul.* multo minus in exteris regionibus,
in

in Principum aulis atq; Palatiis vagari eas patietur. Atque hæc assertio de Legatione assidua omni caret dubio, cum exempla, quæ foeminas Legationes obiisse referunt, de temporaria saltim loquantur.

§. 3. Residentes porro esse nequeunt infames personæ *l. 1. C. de Infamibus. Lib. X.* Quos prouti Jure notatos, nemo cultu prosequetur, aut ipsis debitum exhibebit honorem: nec viles & quisquiliæ hominum ut sunt Cerdones & Fullones, & quicquid abjectioris conditionis est huic muneri sunt præficiendi: Illi enim si abjectè & pro genere se gesserint, officium suum & Principis existimationem commaculant; Si generosè ac splendidè conditionis suæ Immemores, omnium ludibrio se exponunt. Quale quid Oliverio Barbitonfori a Ludovico XI. Rege Galliarum ad Carolum Burgundiæ Ducem ablegato, ob adscititium fastum evenisse annotat Cominæus *lib. 5. n. 13. & 14.* Hoc tamen Ludovici factum non improbat Paschal. *de Legat. c. 20. p. 122.* Tum quoque Principes machinationes & imposturas ab ejusmodi hominibus metuere necessum habent, qui pro re nata principis sui partes deserere non dubitant. Quod Rex Angliæ Carol. I. qui Cytharœdum quendam nomine *Auger* apud Galliæ Regem Residentem infelici plane successu constituens, maximo suo cum detrimento expertus est: Historiam narrat Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 7. pag. 78.* ubi addit, quod ex eo cognosci possit, *qu' on se doit promettre de cette sorte de gens, qui n'ont point d'honneur à ménager, ny de bien à perdre.*

§. 4. An Judæi Residentis officio fungi possint questionis est? Jus civile eos utpote quibus in Christiana civitate omnis ad honores publicos via interclusa est *l. 19. C. de Judæis* rejicit, cui merito inhærendum Hahnus *in diada-*

G

gmate

gmate Judæorum §.15. Non enim bene convenit principi Catholico diversi ritus & dogmatis Residentes apud exteros habere ; Atque eo nomine magna quondam Europæ Regina Judæum Residentem in Civitate quadam Imperiali habens, notari meretur. Judæis æquiparamus alios hæreticos.

§. 5. An vero Princeps Evangelicæ religioni addictus Pontificiæ Religionis Residentem habere possit, quæritur ? Sane postquam triplicis religionis diversitas æquali fere apud nos habetur Jure, parum fortè intererit, cui Religioni Residentis sit addictus, dummodo fides atq; dexteritas ejus adeo principi probata sit, ut spartam hancce, absque verioris doctrinæ detrimento, committi ipsi posse existimet.

§. 6. De subditis dubium est an illi principis extranei apud suum Dominum Residentes esse possint ? & dicendum quod sic ; quia Principes pro arbitrio ministros suos eligere possunt, vel apud se, vel ex alia regione, imò etiam illo loco ubi Residentis officio fungi debent, quod multis argumentis ostendit, exemplisque omnium fere populorum comprobatur. Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 11. per tot.* adeo ut statim ac subditus extranei principis minister factus est, Jurisdictioni prioris domini eximatur. Contrariam Bodini sententiam, quam *lib. 1. de Repub. c. 6.* tuetur, quod scilicet subditus aliò se conferens revocari possit & retineri quasi servus fugitivus, utpote nimis duram & tyrannicæ dominationi convenientem quam Moschi & Tartari in suos exercent, qui sæpe non modo Cives, sed etiam peregrinos homines, imprimis si ingenio aut artificio excellere ipsis videantur, exire prohibent, Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 11. p. 117. & seqq.* diluit, omnino asserens liberum esse civi ex una civitate in aliam transmigrare, dummodo societatis civilis non Interfit : Quando vero hæc exinde damnum sentiat vid.

vid. Hug. Grot. *de I. B. & P. lib. 2. cap. 5. §. 24. n. 2.* ubi *n. 3.* credibile esse censet extra hos casus ad liberam civium discessionem consentire populos, cum non minus ex ea libertate commodi sentire aliunde possint. Generali itaque consensu introductum esse videtur, ut bona venia juri suæ civitatis renunciatis, plane liber abeat à nexu priori Besold. *Politicoz. lib. 1. c. 11. n. 3.* proindeque verum erit quod Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 11. pag. 122.* ait: aliquem etiam in patria sua extranei Principis Legatione defungi posse, & in tantum solvi à priori nexu, ut etiam contra anteriorem Dominum agere possit, si nimirum res & negotia ita ferant. Nam obligatio illa adversus Patriam, quam Parentes nostro nomine contraxisse intelliguntur, imperfecta est, quoad proprio facto non confirmatur, soluta autem penitus censetur, quam primum in aliam concessimus civitatem Pufendorff. *Dissert. de oblig. erga Patriam. §. 12.*

§. 7. Sicuti vero civis alterius Principis in sua civitate Residens esse potest, ita quoque quæritur: an Consilarii in aula Principis, aut Syndici in civitatibus Residentis officium exequi possint? Sane quamdiu sunt Consilarii aut Syndici i. e. juramento illo homagiali Principi aut civitati obstricti, aliorum Principum Residentes esse non poterunt, quod *Stat. Hamb. part. 1. tit. 1. art. 4.* cautum quoque reperitur: cum interesse eorum sæpe adeo diversum existat, ut unius jura absque alterius detrimento asserere nequeant: Illud autem simul promoveri non magis possibile est, ac uno eodemque tempore in duobus existere locis. Quin verò relicto priori officio, solutoque qui ipsos obstringebat nexu, perpetua Legatione etiam apud priores Dominos defungi possint, nullum est dubium: atque ex eodem fundamento una persona duorum diversorum Principum Residens simul esse non potest.

potest. Conf. Paschal. *de Legat. c. 8.* an verò Princeps duos Residentes in uno eodemque loco simul habere possit, quæstionis est? Ipsum duos vel plures Legatos simul mittere posse extra dubitationis aleam positum; quod verò duobus Residentibus simul uti nequeat, præsertim in Aula Imperiali, expresse asserit Vffenbach *de Consil. Imper. Aul. c. 7. sect. 3. pag. 55.* Exemplo quodam id confirmans.

§. 8. Neque saltim seculares personas officium Residentis suscipere, verum etiam Ecclesiasticas ad id munus adhiberi posse constat. Quamvis enim regulariter quidem personis Ecclesiasticis per curias Principum, aulasque potentum discurrere *c. 7. X. de Offic. Jud. ordin.* secularibusque negotiis se immiscere haud conveniat *c. 29. c. 11. quest. 1.* tamen cum optime simulare sciant, nec tantum affectibus privatis ob coelibatum indulgeant, & ut plurimum compendium sumtuum faciant, ac sub schemate religiosæ pietatis multas difficultates & molestias feliciter avertere possint, utiliter hoc munere defungentur. Thomas Morus ita de Clericis judicat *l. 2. apud Erasmum ep. 16.* *Mibi nunquam Legati munus arrisit. Neque videtur perinde Laicis, quam sacerdotibus convenire vobis, qui primum uxores aut liberos, aut domi non habetis, aut ubique reperitis. Nos sicubi paulum absumus, conjugum protinus ac sobolis desiderio revocamur. Deinde sacerdos cum mittitur, totam familiam potest ubi velit circumducere, & regis interim expensis pascere, quam domi pasturus erat suis. At mihi absenti duplex alenda familia, altera domi, altera peregrè. Postremo sacerdotibus laborum atque impensarum gratiam facile est rependere principibus, auctoramentis Ecclesiasticis, sine ullo sumtu suo: nobis neque tam laute, neque tam facile prospicitur.* Hæc forte ratio est, cur clericos ferè

Legatos mittant Reges Hispaniæ, notante Becmano *in Medit. Pol. c. 16. n. 10.*

§. 9. Præterea cum tantum in mittendis ad externos nunciis positum sit discriminis, ut felicitas & infelicitas populorum, contemptus & majestas principis haud dubie inde proficiscatur Warsevic *in orat. de Legat. & Legation.* Princeps summam adhibere curam debet, quo talem eligat qui non solum externis fortunæ bonis, verum etiam internis animi scilicet & ingenii muneribus sit instructissimus. Prudentissime pariter ac elegantissime hac de re *Barclajus in Argenide sua lib. 5. cap. 3.* loquitur, dum ait: *Princeps nullam rerum suarum partem cautius exigere debet, quam delectum eorum, quibus ad externos Reges aut populos Legationem credidit: Ventorum enim illi instar sunt, qui pro suo balitu, occultam salutis, aut morbi vim ex diverso tractu terrarum inspirant in patriam.* Amplissimus hic se exhiberet campus de Residentium virtutibus & qualitatibus disferendi: cum autem in politicorum libris abunde satis de Legatorum virtutibus agatur, nostrique Legati perpetui eorum species sint, connexionis tantum causa paucissimis quasdam attingere suffecerit.

§. 10. Residens itaque expedito ingenii acumine nec non Judicii dexteritate polleat, exquisita insuper præditus notitia principum & populorum, eorum maxime, apud quos perpetua Legatione defungi debet, ut accuratissimè omnia quæ è remittentis futura sint observare, illaque quæ in Principis sui fraudem fieri videt solerter atque feliciter eludere possit. Speculatores tamen, quo nomine Residentes Gallici ut plurimum notari solent, quorum delineationem a nonnemine vivis coloribus exhibitam, Ill. Dominus Lyncker *de Commiss. Imper. ad negotia status Tb. 3.* inseruit,

hic removemus. An principem sequi teneatur si vel peregrè abeat vel in castris sit quæri potest? Id prudentiæ Residentium & negotiorum qualitati relinquendum esse arbitror, ut is ex circumstantiis dijudicet, an sequi debeat principem nec ne: Alias Residens destitutus caractere illo, qui eum ad observationem actionum suarum arcto ligat vinculo, omni occasione officii causa principem circumstare, & cum Ministris ejus colloqui tenetur Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 2. Sect. 3. pag. 28.* quo eo facilius arcana status, quod ministro, Domini Negotia apud exteros tractanti, maxime convenit, expiscari possit.

§. II. Quæstio hic incidit: An Residentibus liceat tentare fidem ministrorum ejus apud quem resident? Perez *ad tit. Cod. de Legation. n. 9.* salvo jure divino aut gentium id fieri posse existimat, etiamsi jurata sit fides ministrorum, cujus opinionem Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 2. Sect. 9. pag. 99.* tuetur, qui tamen addit hanc libertatem in infinitum haud extendi posse: Ast Zieglerus *1. de Jurib. Majest. 32. §. 12.* contrariam tenet sententiam, ac contra Jus divinum, gentium & civile illos peccare tradit, qui muneribus ministros corrumpunt, ut arcana status ab iis expiscentur. Forstnerus *ad lib. XII. annal. cap. 45. p. m. 225.* non presentis tantum seculi, sed antiquorum etiam temporum debonestamentum fuit, aliorum principum ministros auro corrumpere. Non equidem Zieglerus curiositatem Residentium improbat, ut explorent, quid principi suo ex istis provinciis expectandum sit, cum hoc fido incumbat ministro dummodo licitis id fiat mediis; Eo quippe fine Residens apud exteros vivit, ut observet consilia & actiones, quæque hinc nocent Domino significet: sed muneribus ministrum allicere, ut animum suum nobis addicat, Dominumque prodatur, excusari haud posse existimat.

§. 12. Consideratis iis qui Residentium officio defungi possint, sequitur ut ad quænam negotia Residentes adhiberi queant, videamus. Equidem negotii vocabulum variam recipit significationem; Generalissime omnia acta & facta in hac rerum universitate contingentia denotat: In jure privato generaliter omnes significat actiones, non tantum civiles sed & criminales *l. 5. C. de Jurisdic. omn. Judic.* Specialiter pro civilibus actionibus tantum accipitur. In jure publico generaliter pro omnibus actionibus sumitur, quas publicæ rei ergo Legati perficiunt. Specialiter sumtum vocabulum negotii distinguit honorificam Legationem à negotiosa. Sicque in generali significatione non omnia negotia à Residentibus suscipiuntur, Legationes enim quæ honoris vel officii gratia fiunt, à Residentibus utpote secundi ordinis ministris haud peraguntur, Principibus ad illas obcundas ut plurimum primi ordinis ministros adhibentibus. Interdum etiam ratione personæ ad quam mittuntur Residentes negotia tractare non possunt; Sic apud Pontificem Residentes ad negotiandum non admitti ex *Wicquefort de l' Ambassad. liv. 2. sect. 3. pag. 32.* percipere licet. Specialiori significatione omnia negotia à Residentibus tractari posse nullum est dubium, nisi quod sæpius, postquam Residentes graviores labores sustinuerunt, majoris splendoris gratia primi ordinis Legati mittantur, ut negotio cœpto, finem demum imponant.

CAPUT V.

DE

MODO CONSTITUENDI
RESIDENTES,

SUMMARIA.

§. 1. Residentis mandato instructus esse debet. 2. Quotuplicia sint mandata. 3. De Instructione Residentis. 4. Ejusque literis credentialibus. 5. De ritibus & ceremoniis Residentibus exhiberi solitis. 6. Pro diversitate regnorum, varia quoque sunt ceremoniarum genera. 7. Residentes magnificentiam suam ut Ambasciatores exhibere non tenentur; nec de præcedentia certare obstricti sunt.

§. 1.

Solennitas quæ circa constitutionem Residentium observatur est vel principalis vel minus principalis, seu ut in scholis loqui amant est vel formalis, vel accidentalis: ad formalem solennitatem pertinet *Mandatum* quod ceu fundamentum ac basis quorumcunque tractatum ubique & in omnibus Legatis requiritur, adeoque omnem vim & tractandi potestatem Residentibus quoque confert. Sicuti enim in Jure privato Procurator sine mandato agens repellitur, nec ad causam perorandam admittitur nisi mandato munitus *l. 24. C. de Procurat.* ita quoque Residentis ad tractanda negotia absque mandati literis ægre admittetur, etiamsi sit Imperatorius Residentis arg. *l. 1. C. de mandat. Princip.*

§. 2. Sunt autem Mandata alia definita & singularia quibus nimirum certa negotia secundum datam potestatem expedienda committuntur, alia vero generalia & indefinita quæ pro re & occasione nata liberam potestatem in
qui-

quibuscunque rebus & negotiis obvenientibus agendi Residentibus concedunt, atque hisce ut plurimum Residentes muniuntur. Cum enim perpetuam Legationem obeuntes nihil certi in mandatis habere soleant *Besold. de Legat. c. 2. §. 11.* multa interim sæpe interesse & commodum Domini sui concernentia obvenire possint, quibus tamen se immiscere & ratio officii obsequiumque Domino debitum exigat, cum omnia tractare atque facere quæ è re fuerint mittentis sint obstricti, generali mandato satis tuti esse poterunt; Dummodo si præter opinionem res maximi momenti suboriantur, per literas, vel etiam cursores Dominos suos de iis certiores reddant, illorumque voluntatem atque consilium super eas requirunt, quibus neglectis si res & negotia malè cesserint, haud expertes periculi futuri erunt. Quandoque etiam saltim charta blanca seu vacua ima parte nomine & sigillo Principis mittentis signata tradi potest, ut Residentes quodcunque è re Domini mandatum ipsis visum fuerit pro lubitu huic chartæ inscribant, & vi ejus omnia agant *Bortius ap. Arum. tom. 1. §. Publ. Disc. 14. fol. m. 118.* Cujusmodi Carolum Burgundiæ Ducem Legatis suis tradere solitum ex *Comin. comment. lib. 1.* annotat *Magnificus Dominus Præses in Dissert. de Legation. Principum German. c. 4. §. 2. in not.* quod tamen periculo non carere, & fraudibus ansam præbere existimat *Besold. de Legat. c. 7. §. 4.* unde illi qui nudas ejusmodi obsignationes accipiunt peculiari apochâ fateri, vel publico codici inscribere necessum habent se eas accepisse, atque semper copiam eorum quæ superscripta sunt Principi mittere, quo id annotetur in schedula aut libro quo se eas accepisse, confessi sunt, ut eò faciliorem rationem de iis postea reddere possint. *Conf. Marselaer lib. 2. de Legat. Diss. 4. p. m. 205.*

§. 3. Mandatum itaque sicuti tractandi facultatem continet, & alteri parti palam ostendi potest, imo etiam debet, Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 16.* Ita insuper quoque specialior agendi ratio separatis præscripta tabulis Residentibus dari solet, quam Instructionem nuncupant: Inter hanc & mandatum nullam intercedere differentiam sunt qui autumant; verum Mandatum nihil aliud continet nisi jussum mandantis & potestatem conficiendi negotia, Instructio autem explicatio quasi & Interpretatio Mandati est, modum & rationem illud exequendi, ejusve limitationes vel restrictiones exhibens, adeoque Instructio à Mandato differt ut modus negotium gerendi ab ipso negotio. Instructio illa vel libera est vel definita non secus atque mandatum Heider. *Philosopb. System. c. 2. pag. 483.* Secretissima vero hæc negotiationis pars nemini absque summa urgente necessitate & expresso Principalis consensu exhibenda est Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 14. pag. 168. l' instruction est une piece secreete, que le Resident n'est pas obligé de monstrier à la cour où il negotie, & mesme je soutiens, qu'il ne la doit point produire sans necessité & sans un ordre exprés.* unde est quod Residens nunquam adigi possit ad revelanda secreta suæ negotiationis; nam Instructionem Residentium poscere immodestum, extorquere impium & hostile facinus esse monet Paschal *de Legat. c. 59.* Instructionem convenientibus clausulis munitam exhibet Uffenbach *de Consil. Imper. Aulic. cap. 7. Sect. 3. pag. 56.*

§. 4. Cumque sola constitutio Residentis non sufficiat, sed insuper etiam requiratur ut de ea constet; Legitimatione opus erit, quæ per Literas Credentiales plerumque fieri solet: hinc literæ Credentiales Residentem ablegatum quoque comitari debent, quæ sicuti omnem dubitandi

tandi & diffidendi ansam præscindunt, ita de ejus persona commissaque qualitate superiorem illum ad quem missus est certiozem reddunt, sic ut ratione individui postea nil excipi possit. Hæ Residentibus adeo necessariae sunt, ut ab illis securitas eorum maxime dependeat, adeoque si Juribus & immunitatibus ipsis alias competentibus frui cupiant, illi parti ubi residere volunt, intimentur necesse est. *Princk Fürstentbergs Verhaffung pag. 14.* cum generaliter nemo pro status ministro reputetur, nisi literis credentialibus ad superiorem illius loci ubi commorari vult fuerit instructus, quod multis exemplis confirmat *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 15. & pag. 72. ait qu'il n'y a point de Ministre public, s'il n' a des lettres de creance pour le Souverain du lieu, où il pretend demeurer quelque temps, & par le quel il se veut faire considerer en cette qualite.* Neque nobiles personæ ob fidei Integritatisque præsumtionem hic excipiuntur, adeoque sententia Schönborn *polit. 3. c. 29.* quam ex *c. Nobilissimus 3. distinct. 97.* adstruere conatur, quasi nobilium verbis absque exhibitione literarum Credentialium fides haberi debeat, non solum fundamentis Juris destituta, sed & praxi hodiernæ repugnans, vix subsistet; Cum etiam Imperatores in *l. 1. C. de mandat. Princip.* expresse asserant, nemini quicquam nisi quod scriptis probaverit, esse credendum, nec ullius dignitate terreri conf. *Schüz de Statu Rei Rom. Vol. 1. Diff. 9. Tb. 6. Lit. d.* Quandoque mittentes Literis credentialibus adjungunt Literas commendatitias in signum singularis affectus & amoris erga illum quem mittunt. *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 15. pag. 177.* quibus petunt ut Residens ab eo ad quem mittitur benevole admittatur, eoque quo par est loco habeatur.

§. 5. Ad Solennitatem Accidentalem spectant Ritus

& Ceremoniæ quibus Residentes excipiuntur, item habitus & reliqua ipsis competentia, in quibus observandis tantam curiositatem, quantam aliàs Ambasciatores adhibere solent, non sunt obstricti; prouti supra *cap. 1. §. 15.* fuit dictum; cum enim Ambasciatores magna cum Pompa splendidoque comitatus apparatu excipiantur, ipsisque adventantibus, ut plurimum personæ Illustres obviam mittantur, ac concomitante Rheda principis ad ædes ipsorum receptioni destinatas deducantur; Illæ Ceremoniæ Residentibus non exhibentur *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 18. pag. 229.* qui plerumque tacite locum illum ubi perpetua Legatione defungi debent, intrant: Unde Regina Sueciæ Christina ægre ferebat quod Comes *de la Garde*, a legatum extraordinarium Regis Hispaniæ *Pimentelium* tanta cum Pompa & tam magnificè excepisset. *Wicquefort. de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5. pag. 58.* Aliquando tamen secundi ordinis ministris iidem fere honores, ac Ambasciatoribus alias solent, habitus passim leguntur, quod tamen solum ex indultu ac urbanitate illorum factum est, ad quos missi fuerunt, non vero ex jure aliquo ipsis competente: Sic *Piques* Galliarum Regis Residentens apud Suecos per introductorem Ambasciatorum curru Regniæ, multis stipatus famulis ad Audienciam apud Principem Palatinum *Carolum Gustavum* habendam deductus fuit; Qui ipsi à Mareschallo Curia in summa Sclarum excepto ad medium usque conclavis obviam ivit, quod tanquam singulare quidpiam annotavit *Wicquefort de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5. p. 59.* Illa autem quæ civilitatis ratione uni sæpe extra ordinem indulgentur peculiariter, alius jure postulare nequaquam potest, unde nec Principales illorum quibus tales honores ac civilitates exhibentur, idem facere eo casu quando hujus generis ministri ipsos rursus accedunt, erunt obli-

obligati. Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 5. pag. 59.* ac proinde verissimum erit, quod *idem pag. 58.* inquit *que les honneurs excessifs ne sont point deus aux Ministres du second ordre, & ne peuvent pas plaire aux Maistres, qui doivent desirer, qu' il y ait quelque reserve pour le caractere representant.*

§. 6. Pro diversitate vero Regnorum ac Rerumpublicarum diversa quoque sunt ceremoniarum genera circa receptionem, dimissionem & alias solennitates observanda, quæ ab Introductoribus Legatorum aut Ceremoniarum Magistris omnium optime addisci possunt. Quid in Gallia, Anglia, Suecia & apud foederatos Belgii ordines obtineat, aliquatenus exposuit Kulpis *de Legat. Stat. Imp. cap. 13. §. 2. 3. & 4.* Notandum tamen quoad Residentes, quod his apud Gallia Regem ad audientia conclave deductis ab ostiario una tantum valvarum, Ambasciatoribus vero ambæ aperiantur. Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 19. pag. 245.* ac cum Parisiis Luparum (quod vulgo *Louvre* vocant) Legati curru intrare possint *Directorium aulicum de Ratione Status c. 1 § 9.* Residentibus & secundi ordinis Legatis id non permillum, sicuti nec caput coram Rege tegere possunt, velut ex Exemplo Marchionis Justiniani a Wicquefort: *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 5 pag. 57.* allato percipi potest: Interdum vero etiam hisce beneficio ac liberalitate Principum apud quos versantur indulgetur ut caput operire possint, quod tamen in consequentiam trahi non debet. In Libris Rebuspublicis secundi ordinis Legati caput tegendi licentiam habent. Sicuti Venetiis Residentes caput tegunt, non vero sedentes mandata exponunt, adeo ut nec Imperatorio Residenti, ut sedeat, concedatur: unde Imperator non nisi Agentem ibi alit, prouti annotat Wic-

quefort de l' *Ambassad. Liv. 1. Sect. 19. pag. 246.* cum alias Res-
publica Venetorum in receptione ministrorum secundi or-
dinis, nunquam ferè ceremonias status observare soleat. *Id.*
A. Liv. 1. Sect. 18. p. 217. Hagæ Comitum Residentes tecto ca-
pite & sedentes commissa proponunt *Id. Liv. 1. Sect. 19. pag.*
248. Romæ, quamvis Pontifex Residentes ad Audientiam
admittere non facile persuaderi sibi patiatur, cum dignitati
suæ minus conveniens existimet, cum Ministris secundi or-
dinis conferre *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 2. Sect. 3. p. 320.*
tamen quandoque Residentes degere constat: annotavit
enim Autor *directorii aulici in Imper. Rom-German. c. 11.*
singularia quædam ad Residentes attinentia, quæ in Audien-
tiis apud Cardinales habitis observantur. Sic Regio Amba-
sciatore apud Cardinalem existente secundi ordinis ministri
non annunciantur §. 3. p. 120. neque obviam iis it Cardina-
lis nisi in Antecamera, ministris ejus in cavædo eos excipien-
tibus *ibid. §. 5. p. 127.* præsentem Residentem Cardinalis mini-
stros suos alta voce vocare potest, quod in præsentia Am-
basciatoris aut Principis ipsi licitum non est, tum enim ar-
gentea super holoserico pulvinari curiosè adornato apud
ipsum collocata campanula signum ministris suis dare tene-
tur. *Director. Aulic. in Imp. Rom-German. c. 11. §. 7. p. 131. 132.*

§. 7. Sicut autem magna quoad receptionem ac cœ-
teras cæremonias inter Ambasciatores & Residentes inter-
cedit differentia: ita etiam Magnificentiam suam adeo ex-
hibere non tenentur ac primi ordinis Legati, & generaliter
monet *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 23. p. 320. que*
les Princes, qui permettent aux Ministres du second ordre
de faire une dépense, qu' une Cour bien réglée ne permettroit
pas de faire à un Ambassadeur, ne sont pas bien conseillés: In-
de quoque est quod vestitum patrium mutare possint:

Cum

Cum enim Ambasciatoribus maxime conveniat patrium retinere habitum, quem in exteras terras delati absque singulari causa commutare non debent. Kirchner. *Lib. 1. de Legat c. 7. n. 60.* Residentibus tamen perpetuo alicubi degentibus concessum est vestibus uti, inconstantia illius loci quem inhabitant ferè conformibus Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 23. pag. 314.* De præcedentia quoque Residentes certare obligati non sunt, cum nullum in sua persona præjudicium Domino fieri possit. Quandoque tamen novimus Residentes præcedentiam secundæ qualitatis viris concedere noluisse, sed sibi locum etiam ante Comites, Barones aliosque excelssæ dignitatis homines Campi-Mareschallos & similes vindicasse: veluti Tullierio Regis Galliaë Ambasciatore Hagam Comitum M. Novemb. anno 1640. intrante, contentionem de præcedentia inter Dominum *de Brederode* Campi-Mareschallum confœderati Belgii & M. *Spiring* Residentem Suecium Intercessisse, litemque hanc haud cum satisfactione Residentis a Collegio Statuum generalium compositam esse refert Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 5. pag. 60.* Quamvis vero in Residentis persona Domino quoad præcedentiam nullum possit fieri præjudicium; prudenter tamen facient Residentes si non eo ubi oriri possit talis controversia, veniant, & in genere monet Wicquefort *de l' Ambassad. d. l. que le Ministre du second ordre ne doit pas entrer en cette sorte de contestations, dont la fin n'acquiert point d'avantage a son Maistre, mais luy peut bien faire tort. C'est ce qu'il doit fuir & éviter toutes les rencontres, qui luy peuvent faire des affaires.*

CAP.

IVRIBVS ET PRIVILEGIIS
RESIDENTIVM.

S V M M A R I A.

§. 1. Residentes libero Religionis exercitio fruuntur. 2. Inviolabilitatis Jur. Gent. introducta quoque sunt participes. 3. Vti & Comites ipsorum ac domestici. 4. Residentes nullam aliam nisi Principalis sui agnoscunt Jurisdictionem. 5. Eamque exercent in domesticos & officiales. 6. An Residentes habeant Jus asyli in aedibus suis? 7. Residentes nec per repressalias detineri nec jure talionis puniri possunt. 8. A vectigalibus tributis & oneribus sunt immunes. 9. Privilegia ex Jure Civili Legatis competentia quodammodo etiam ad Residentes applicari possunt.

§. I.

Supra cap. 2. §. fin. receptionem & admissionem Residentium ex Jure gentium esse pluribus demonstratum fuit: videndum itaq; est an Jura atq; privilegia J. Gentium Ambasciatoribus competentia Residentibus quoq; attribui possint: ubi dicendum videtur, quod Residentibus eadem ferè competant quæ Ambasciatoribus, exceptis tamen iis quæ characterem repræsentatiivum inprimis comitantur: Quamvis enim Residentes characterem repræsentatiivum quoq; vestitos licet non in superiori gradu asserat Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 5. pag. 60.* tamen hunc characterem non eundem cum eo qui Ambasciatorem exornat, habere effectum, constat. In reliquis igitur potissimum pari cum Ambasciatoribus gaudent Jure, & quod ad exercitium Religionis attinet, ubique illud etiam iis in locis in quibus horrenda alias &

& crudelis inquisitio summo in vigore est, liberum habent Residentes Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 5. p. 57. & Sect. 28. p. 417.* Baro de Rortè & Chanutius Residentes in Suecia, absque singulari permissione Reginae in ædibus suis officium missæ celebraverant, interpellati ea propter responderunt, postquam ædes eorum ad Regem pertinerent, neminem in illis exercitium religionis ipsis prohibere posse referente Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 5. pag. 60. & 61.* Illud autem privilegium ad Residentes & eorum domesticos saltem se extendit; unde Princeps salvâ justitiâ, tam subditos suos, quam extraneos, qui leges suas observare tenentur, à cultu sacro apud Residentes habendo arcere potest. Quin & si publicum religionis cujuscunque exercitium Princeps Residenti in ædibus indulget, salvis amicitiae legibus ab isto postulare poterit, ut cultus sacer in illo saltem idiomate fiat, quod apud Residentis Dominum usu obtinet. Cavendum interim, ne libertate in confessione publica domi concessa, Sacerdotes maligne invehantur in diversæ religionis homines, unde magna Legatis ac Residentibus pericula. Grotius valde queritur in Epist. cccc x ad fratrem Guilielmum: *Brandanus mea dicta cœpit contemnere, & pro arbitrato nunc in nos, nunc in Pontificios declamare, cujus loquentia pœnas ego luebam & in Reformatorum & in aula regia odia incurrens.* Hub. Languetus, in Cæsaris ac Regum aulis, nomine Augusti Saxoniae Electoris diu versatus, nihil magis evitabat, quàm intempestivam ejusmodi disputationem in sacris orationibus. Hinc & multis obnoxius erat odiis de quibus ipse ad *Sydnaum Ep. XXVIII.* Illud quæri potest: an Residens, qui religioni alii nomen dedit, quam cui princeps ejus, aut princeps apud quem residet, addictus est, liberum quoque suæ religionis habeat exercitium?

quam quæstionem affirmativè decedit Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 28. pag. 417.* quoniam si Principalis ejus, de quo credibile est ipsum potius velle ministrum suum cui-
cunque etiam falsæ religioni addictum, quàm libertinum
aut plane Atheum esse, liberum suæ Religionis exercitium
ipsi permittat, non poterit ille, apud quem degit, istud
exercitium impedire. Quanquam rarò Principes mi-
nistros aliam religionem ab ipsorum religione profiten-
tes, ad ejusmodi obeunda officia adhibeant; ac si iis utantur,
regulariter tales eligant, qui eundem cum Principe ad quem
mittuntur cultum agnoscant; quod variis exemplis mini-
strorum protestantis Religionis ad Protestantes a Pontificiis
missorum declarat Wicquefort *d.l.*

§. 2. Sicut vero omnia Jure Gentium Legatis com-
petentia privilegia in sanctitate atque Inviolabilitate, quæ ex
J. Gent. dependet. Struv. Synt. J. Civ. *Ex. 1. Tb. 56. inf.*, ipso-
rum ferè consistere videmus, unde securitatem publicam
privilegium omnium privilegiorum maximum vocat Sagit-
tar. *in spec. boni Legati c. 6. pr.* Ita eodem Jure Residentes
æque ac Ambasciatores inviolabiles esse nemo est qui Infi-
cias ire possit: Postquam enim admisio atq; receptio eo-
rum J. Gent. adscripta fuit, illique negotiandi causa mittan-
tur, Jure Gent. receptæ & naturali ratione introductæ Im-
munitatis, ne quacunque de causa violentur, participes facti
sunt. Et quanquam ex data Gallorum Ministrorum d' Avaux
& Servientii Imperatoriis Plenipotentariis ipsos compel-
lantibus, ut Ambasciatorum titulo abstinerent, responsione,
quam Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 27 pag. 405.* ex-
hibet, hæc sententia elici posset; ac si secundi ordinis Legati
tanta securitate non fruerentur ac primi ordinis Legati; eo-
rum responsionem tamen potius restringendam esse ad ple-
bem

bem judicat Wicquefort *d. l.* non verò ad Principem e-
 jusque status Ministros, penes quos ut J. Gentium maxime
 peritos, ablegatus alterius Principis, qualicunque etiam qua-
 litate vestitus sit, sufficienti gaudet securitate, ut proinde nul-
 lum sit dubium, quin secundi ordinis ministri æque ac primi
 securitate Jure Gentium iis debita fruantur Wicquefort *de*
l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 1. pag. 3. ac licet Curia Hollandica a-
 liquando in controversia cum Residente Suecio Spiringio
 habita, hujus fuerit sententiæ, quasi protectio Juris Gentium
 Ambasciatores solùm concerneret, nec ad Residentes refer-
 ri posset Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 5 p. 52.* tamen
 eadem postea & in declaratione d. 29. Martii An. 1651. publi-
 cata, cujus mentionem supra *cap. 2. §. 8.* fecimus, multa cura
 atque sollicitudine Ambasciatores, Residentes & alios status
 Ministros in communionem sanctitatis, Inviolabilitatis & se-
 curitatis J. Gent. tributæ composuit, adjecta pœna corpora-
 li transgressoribus ut J. Gentium violatoribus & perturba-
 toribus publicæ quietis inferenda, & in Disceptatione quam
 Id. *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 12. p. 146.* annotat cum altero
 Regis Sueciæ Residente Appelbomio aliam fovit sententiam.
 Sane postquam Princeps Residentem admissum pro status
 Ministro semel agnovit, Jus Gentium maxime violabit, si se-
 curitati ipsius insidias struat aut alios struere patiatur. Resi-
 dentes enim, quod gradu saltim differant a Legatis, non va-
 riant speciem, & iisdem cum his Juribus gaudent in securita-
 te publica, in negotiorum rerumque tractatu. Dn. Pufendorf.
XVIII. Rer. Suec. §. 59. ex controversia inter Gallos ac Sue-
 cos ista docet, ac monet, *utriusq. regis Residentem pari gra-
 du habendum, nec uni plus quam alteri concedendum.* Quæ
 autem securitas major, quam inter Legatos ad publica nego-
 tia, semper admittere Residentem, qui licet non eodem suf-



fragii jure utatur, tamen in deliberationibus cuncta audiat, cuncta observet, & admittentem referat? Hoc jure igitur privare Rosenhanium Monasterii quando vellent Galli, eodem Jure in Labardæum usi sunt Sueci. Sic igitur ex utraque parte libertas ministrorum ac securitas publica restituta.

§. 3. Nec solum Residentes securitate ac Inviolabilitate publica gaudent, sed et Comites ipsorum ac Domestici ex ratione accessorii eadem securitate fruuntur; non secus ac Scholarium famulis eadem privilegia videmus indulta, quæ ipsis Scholasticis tribuuntur Becker. *Synops. J. Publ. lib. 4. c. 4. §. 10. inf.* an vero & quatenus dominorum privilegia ad famulos extendantur, prolixè demonstrat Stammius *II. de Servit. person. cap. VI. Addatur l. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ.* quæ etiam ad vilissimis officiis præfectos, famulos, lixas, scoparios, stabularios & similes extendi debent, Besold. *de Legat. c. 5. §. 12.* nec minus Vasa Residentium sui generis quoque habent Sanctimoniam, veluti carpenta aliæque res ad ipsos pertinentes, quarum expressa fit mentio in declaratione Hollandica toties memorata. Non autem iis solum apud quos resident ablegati nostri ordinarii inviolabiles sunt, sed & omnibus per quorum ditiones iter faciunt usque dum veniant ad locum ipsis destinatum, dummodo Principes illos per quorum fines transeunt certiores faciant de sua persona, alias si illam celent de obvenientibus adversis conqueri non possunt Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 15. pag. 176.* præsertim si illa transire regna debeant, per quæ sine diplomatibus iter non patet: sicuti in Insubria capitale esse occultè per provinciam transire ex Bortio habet Besold. *de Legat. c. 5. §. 18.*

§. 4. Residentes quoque à Jurisdictione ejus apud quem resident exempti sunt, nec aliam nisi Principalis sui agno-

gnoscunt, alias si Residentes utriusque Jurisdictioni subesse cogentur, dura nimis ipsorum fors futura esset, pro diversa enim ratione status inter mittentem & illum ad quem missi sunt intercedente, Residentes vix evitare possent, quin sub prætextu quodam ab alterutro in Judicium traherentur. An vero Residentes si deliquerint, ab illo, apud quem resident, puniri possint? quæstionis est: Quidam qui de Legatis in genere scripserunt distinctionem faciunt inter levia & atrocia delicta & ob illa eos puniri non posse, sed vel dissimulanda esse vel finibus jubendos excedere autumant: Hæc vero subdistinguunt an directò lædant dignitatem & statum Imperantis; an vero principaliter tantum in privatorum injurias & damnum vergant, & priore casu puniri posse & quandoque pro ratione capite plecti, posteriore vero casu cum elogio remittendos esse ad Principalem, ut ille vel puniat, vel dedat. Confer. Ziegler. *i. de Jurib. Maj. 32. n. 17.* Sane si illi sententiæ inhæserim nemini præterquam Domino Residentes rationem actionum suarum reddere cogi, non multum à vero me aberrasse credo. Præterquam enim quod Antecessores habeam idem sentientes Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 18. §. 4.* Hahn. *de Legat. tb. 45. cum seq.* Furstener. *de Supremat. cap. 6.* Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 27.* Exempla etiam ibidem variè allata nihil aliud evincunt, quam Residentes ob crimina puniri non posse. Quod cum rectæ rationi & J. Gent. convenientius sit, contrarium haud admitemus, paratâ alias segete prætextuum, ut vario Juris colore Residentes violari possint. Illud tamen adhuc moneri debet, si hostilia moliantur Residentes aut clandestinas conjurationes & rebelliones foveant, honesta custodia quæ securitati eorum pariter ac dignitati consulat, detineri, quò non solum malarum artium semina in republica spargendi

facultas ipsis adimatur, verum etiam imminens periculum eo felicius depellatur, ac si suspecta adhuc eorum commoratio sit, finibus educi & Principali transmitti posse. Atque hoc summum est, quod illi, penes quem Minister residet, in ejus personam licet.

§. 5. Sicut vero Residentes Jurisdictioni illius loci ubi degunt non subjacent, ita quoque domestici eorum eodem privilegio gaudere debent, adeoque Residentes propriam habent Jurisdictionem in domesticos suos ministros & officiales Furstener *de Supremat. c. 6.* ita ut si levia sint delicta ipsi de iis cognoscant, si vero graviora criminalique animadversione digna commiserint delicta, liberum ipsis sit Reos ad Principalem suum transmittere, qui supplicium de iis sumat Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 28. pag. 422.* adeo ut si etiam conspiraverint contra Principem, aut alias hostilia perpetraverint, tamen Jurisdictioni Residentis non eximantur, quod exemplo Henrici IV. Secretarium Legati Hispan. in conspiratione contra se comprehensum Legato tamen ad puniendum transmittentis confirmat Furstener *de Suprem. c. 6.* ubi quoque factum Cronwellii fratrem Lusitani Legati homicidii reum publicè securi percuti jubentis minus probat: de quo alias Wicquefort *de l' Ambassad. liv. 1. sect. 28. pag. 420.* tale fert iudicium, quod non mirandum sit ab eo sacrilegium esse commissum, qui parricidium perpetrare non dubitaverat. Quinimo etiamsi domestici Residentium illius Principis subditi fuerint penes quem illi subsistunt, nihilominus tamen Residentibus arbitrium in eos committendum erit Wicquefort *d. l. pag. 422.*

§. 6. Residentes vero Domestica illa Jurisdictione abuti haud debent ad aliena scelera protegenda, Magistratusque Jurisdictionem impediendam: unde quæri potest

an

an Jus asyli habeant in ædibus suis? Sane si illud verum est quod Jus asyli ex J. Gentium non sit, sed ex ejus benevolentia pendeat apud quem ablegatus residet prouti volunt Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. c. 18. §. 8. n. 2.* Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 28. pag. 414.* Christian. Thomasius *in dissert. de Jure Asyli Legatorum ædibus compctente. §. 26.* nulum erit dubium quin concessione Principis vel expressa, vel tacita intercedente Residentes Jus hoc exercere possint, quo alias, permisione nulla existente, abstinere debent. Sicuti in charissima Patria Residentes aliquando Jus hoc præten- disse, insecuta tamen remonstracione nunquam illud a Senatu populoque concessum, prætensionì huic haud amplius instasse, percepi. Alias de his, qui Jure Asyli apud missum frui cupiunt, varie in caussa Romana, inter Pontificem ac Gallia Regem fuit disputatum. Pro Gallis videndus ex diu- turna possessione, Zieglerus peculiari Schediasma- te. Sed & more prudentum respondet ibidem de Jure In- nocentii.

§. 7. Referrì quoque huc potest, quod sicuti Legatù per repressalias, cum sint species belli Justì Besold. *de Legat. c. 5. §. 24.* detineri ac Jure talionis puniri non possint Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 18. §. 7.* ita nec Residentes. Et licet Princeps Legatos aut Residentes alterius violaverit, tamen Jus talionis cessat, cum non solum Jus Gentium mittentis caveat dignitati, sed & ejus, qui mittitur, securitatì Neque bona Residentium pignoris causa, aut ad solutionem debiti re- tineri vel arrestari possunt Grot. *d. l. §. 8.* quo enim Resi- dentibus plena constet securitas, omnis actio seu potestas, ut vocant coactiva ab ipsis abesse debet Wicquefort *de l' Am- bassad. Liv. 1. Sect. 27 p. 397.* nec metus subest, quod ita ne- mo facile reperiatur, qui cum ipsis contrahere cupiat; Sicuti

ti enim non desunt qui cum Regibus, quos tamen ad implendos contractus cogi non posse Juris remediis manifestum est, contrahant: ita quoque Residentibus non deficient creditores, qui spe lucri ad incertum casum & eventum certos suos sumtus impendant: non male tamen rebus suis prospicient illi, qui contractus cum Residentibus ineunt: Si Civem quendam, ejus loci subditum; fidejussorem constitui sibi patiantur; quem deinde adimplendum contractum convenientibus remediis absq; violatione J. Gentium cogere possint, addatur Textor *in Synopsi Juris Gentium cap. XIV. §. 50. & seqq.*

§. 8. A Vectigalibus, tributis & oneribus aliis illius loci ubi degunt Residentes quoque immunes sunt: Quamvis in Hollandia de exportandis & importandis bonis, solita illis competentia onera à quibus nemo ibidem subsistens liber est, solvere cogantur. Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 28. in f.* & aliquando apud Hispanos A. 1669. Regnam Jus illud propter insignes abusus tollere voluisse repugnantibus valde Legatis ex *Diario Europæo part XXI. pag. 32.* asserat Kulpis *de Legat. Stat. Imp. cap. 21. §. 7.* ubi de aulæ Casareæ observantia dubitare quoque posse annotat, quod *in monitis Principum ac Statuum communibus ad Capit. Leopold. artic. 41.* adhuc petitum legatur *daß der Chur Fürsten / Fürsten und Stände Rätthe / Residenten, Agenten, Sollicitanten und deren Angehörige am Kais. Hofe von der Leibsteuer / auch denen personal oneribus allerdings zu befreyen.* Quod si tamen Residentes in illo loco, ubi subsistunt, bona immobilia possideant, ab oneribus realibus, quæ ipsis rebus inhærent, non erunt immunes, cum munera hæc ab ipsarum rerum possessoribus præstari debeant *l. 6. §. ult. ff. de muner. & bonor.* Si enim patrimo
nia--

nialia habeant in civitate, eorum respectu hac immunitate vix gaudent, sed sunt eodem numero cum cœteris habendi, nisi gratia singulari eximantur. Abstinerere quoque debent à vulgatis acquirendi modis, unde non tam sibi, quam mittenti dedecus. Sicuti etiam si Residentes bona ad alios pertinentia secum ferant, eorum intuitu pari cum cœteris conditione habendi sunt.

§. 9. Privilegia Jur. Civ. Legatis alias competentia etiam quodammodo Residentibus applicari posse, nullum subest dubium: Inprimis si ab ejusmodi dominis missi sunt apud quos jus civile in summo est vigore. Videl. si Residentes propter absentiam læsi fuerint, restituuntur in integrum ex eo capite, ex quo restituuntur absentes reip. causa *l. 1. C. ex quibus caus. maj.* libertatem quoque & jus civitatis retinent, etiam si extra Imperii fines apud Barbaros subsistant, unde est quod non solum testamentum faciendi facultate polleant *l. 13. §. 1. ff. qui test. fac. poss.* sed & ex testamento alterius aliquid capere possint: in tantum ut Legata in testamento Residentibus sub conditione relicta: Si tempore mortis testatoris eo in loco viveret, vel Annua, quamdiu illinc commorarentur, quasi deficiente conditione non infirmentur, ne absentia Residentium Reip. utilis, ipsis sit damnosa *l. 11. ff. ex quibus caus. major.* Jus in Patria in filios totamque familiam retinent, unde non opus habent, ut eorum liberi, in loco ubi resident nati, naturaliscentur, cum non abesse videantur *Besold. de Legat. c. 6. §. 2.* Plura Legatorum privilegia ex Jur. Civ. competentia ad Residentem ab uno quovis facili applicatione facta referenda, hic non addemus, contenti aliqua ex illis in medium adduxisse Benevolum Lectorem ulteriora desiderantem ad Autores, qui de Legatis scripserunt, ablegantes. Ante vero quam caput hoc finiamus lubet di-

ſquirere an Residentes quoque habeant Jus revocandi domum? Dubitari quidem poſſet hoc illis competere, cum Privilegium hocce Authores ex Jur. Civ. potiffimum provenire exiſtiment, adeoque exteros qui Imperio Romano incorporati non ſint haud obligare. Mühlſport *de Jure revocand. domum* th. 20. putent. Attamen cum Privilegium hocce non ſolum civilis juris ſit, ſed & in Gentium jure fundamentum habeat, quatenus Residentes ab omni aliena Jurisdictione exempti ſunt, nec præter domini aliam agnoſcunt vid. §. *prac.* 4. illis apud exteros uſum hujus privilegii haud denegandum eſſe, cenſeri debet.

C A P U T VII.
 QVANDO RESIDENTES ESSE
 DESINANT ET DE AFFINIBVS
 EORVNDENI.

S U M M A R I A.

§. 1. Solvitur munus Residentis morte Principalis & ejus ad quem miſſus eſt. 2. Si ipſe moriatur: ubi de Jure Albinagii. 3. Quandoque Residentes revocantur l. proprio motu, vel inſtitutu ejus apud quem resident, 4. Bello ingraveſcente officium Residentis quoque tollitur. 5. An reſidens munera capere poſſit ab illo ad quem miſſus eſt? 6. Conſules quid ſint.

§. 1.

Perpetui noſtri Legati quamvis aſſidua Legatione fungi, & de tempore in tempus, de luſtro in luſtrum penes illum ad quem miſſi ſunt reſidere dicantur. Sagitt. *Spec. bon. Legat.* c. 3. §. 4. tamen eorum officium aliquando expirare nullum eſt dubium. Quod fit (1.) morte domini mittentis, hujus enim voluntas, ut Reſidens hoc munus obiret, cum morte fi-
 nia-

niatur arg. l. 4. ff. *Locat.* Residens amplius spartam continua-
re non poterit ; Quod etiam in eo obtinere puto Ministro,
qui ab ejusmodi provincia missus est, cujus Rex non moritur.
Sicut Regnum Galliae secundum leges & statuta nunquam
Rege orbatum inveniri notat Wicquefort *de l' Ambassad.*
Liv. 1. Sect. 30. pag. 440. cum secundum vetus proverbium
la mort y saisit le vis proximo agnato immediate successio
deferatur. Unde est quod Cancellarius regni Galliae nun-
quam lugubri veste ornatus conspiciatur referente Wicque-
fort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 23. p. 318.* Limnæus *1. Notitia*
Regni Francia cap. 14. item *lib. II. cap. XVII.* regis Galliae Im-
mortalitatem vocat *paradoxon politicon, idque prorsus inso-*
lens, maxime si dicatur in exequiis, Rex mortuus est, rex vivit.
Nisi tamen in compositione ac divisione fallere velimus, pa-
radoxon solvitur facillime. Si vero non tam Princeps quam
ipse Principatus Residentes constituat, aliud obtinere cen-
seo. Neque tantum morte sui Principis Residentis officium
expirat, verum etiam. (2.) Morte illius penes quem residet,
adeo ut antequam novis litteris credentialibus ad successo-
rem fuerit instructus, Residens ad tractanda negotia non ad-
mittatur. Wicquefort *Liv. 1. Sect. 30. pag. 440.*

§. 2. (3.) Residentis morte ejus quoque officium de-
finit, nec ad heredes ipsius transit, cum certæ personæ indu-
striam Princeps censeatur elegisse arg. l. 57. ff. *Mandati.* Cum
vero in quibusdam regionibus usu obtineat, ut exterorum
bona, cum moriuntur, in fiscum rediganrur, quod jus Albi-
nagii vocare solent, in Gallia præsertim, de quo Bodinus
1. de Republ. cap. VI. Veteres prope simile Jus habuerunt
quod *adplicationis* dixere, quo de Gronovius *1. Obs. cap. IX.*
Addatur Dn. Schilter. *Exerc. peculiari de Juribus peregrino-*
rum. Quæritur an in Residentium bonis locum quoque ha-

beat hoc Jus Albinagii? Resp. quod non, cum universalis exceptio sit in Legatis Howelius *de Legat.* §. 4. nec Residentes Statutis & legibus civilibus illius loci ubi subsistunt, sint obstricti Besold. *de Legat. c. 5. §. 13.* Quamvis enim Giavarinæ Veneti apud Magnum Vezirium Residentis A. 1667. defuncti, pecuniæ, quas à republica habebat, & suppellex coetera auferrentur vid. *Diar. Europ. part. XIX. pag. 16.* tamen hoc à Barbaris & Turcis penes quos Jus Legationis non adeo strictè semper observatur, factum est, nec exinde in consequentiam trahendum est. Sicuti neque morientium in Aula Cæsarea Statuum ablegatorum hereditatis trientem Mareschallus retinet; prout aliquando in Comitibus A. 1641. probatum fuit à Legato Culmbacensi, negante id Curiensi Legato quorum inde exorta disceptatio apud Kulpisium *de Legat. Stat. Imp. c. 22. §. 11.* videri potest.

§. 3. Revocantur etiam quandoque Residentes quando videlicet principales ipsorum cum eorum negotiationibus non sunt contenti, aut ad alia graviora negotia expedienda ipsos adhibere volunt; & tunc eorum officium illo in loco ubi hætenus subsisterunt, cessat: Singularis vero Venetorum prudentia uti in omnibus, quæ tam ad augendum quam conservandum suum statum pertinent, ita & hic notari meretur, quod non permittant Residentem Ministrum ante abitum parare, quam successor ejus advenerit, cui de statu præsentis aulae illius, in qua usquehuc commoratus est certiore facere, atque memorialia negotiationis hætenus gestæ exhibere tenetur. Wicquefort *de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 30. pag. 441.* Simile quid inter Busbequium & Malvezium obtinuit, cum ille huic in aula succederet Ottomanica. Magni enim referre putabat Ferdinandus, ut Busbequius conveniret prius Commaronii Malvezium, *& de moribus*

ribus, ingenioque Gentis illius nonnulla cognosceret, Epist. I. Legat. Turcica p. m. 7. Post ipsum & alii hunc morem prudenter observarunt. Interdum quoque Princeps in cuius aulis Residens ætatem agit, vel quod infesta ipsi facta sit persona Residentis, vel quod alias deliquerit conf. *cap. preced. 6. §. 4.* Principali postulat ut ministrum suum domum revocet. Ex eo vero quod Princeps negotia cum Residente apud ipsum existente amplius continuare nolit, non statim officium ejus expirat: Sicuti nec illico aulam relinquere tenetur cum se ibi minus gratum atque acceptum esse videt. Wicquefort *dl. p. 444.* & in genere Residens officium suum deserere nequit Besold. *de Legat. c. 4. §. 15.* tamdiu enim ipsi commorandum est in loco ad obeundum assiduæ Legationis munus destinato, usque dum Domini expresso revocatus fuerit mandato, non aliter ac Excubiis absque Jussu Imperatoris stationem relinquere prohibitum est. Jure civili Romano Legatus qui Legationem deseruerat pœna afficiebatur extraordinaria *l. 1. ff. de Legation* hodie vero ejusmodi crimen capitale esse, in primis si relictis Principis sui negotiis, ad aliûs & quidem adversæ aulæ castra animo proditorio Residens transeat, nullum est dubium. Sicuti Serenissimus Elector Brandenburgicus Ministri sui in Anglia ad Suecorum partes transfugientis, effigiem patibulo affigi curavit, eadem haud dubiè hominem affecturus pœnâ, si illo potitus fuisset, referente Kulpis *de Legat. Stat. Imp. c. 22. §. 9.* addatur Frommannus *de Executione in effigie §. 43. 44.*

§. 4. Intercedentes quoque inter principes hostilitates, Indictumque bellum Residentis officium tollunt. Ingruente itaque bello Residens remittendus erit Besold. *de Legat. c. 5. §. 3.* cum periculosum sit inimicum alere domi: & Marcus Cato existimavit, domum recipere Legatum ho-

stium, in cubiculum admittere & reducere, hominis esse nihil de dignitate, nihil de periculo cogitantis *Cicero Philipp. 8.* Quod si itaque Residentis Serenissimus Principalis Principi penes quem ille degit bellum indicat; optimè faciet si ministrum suum in tempore ea de re certiosem reddat, quo ille se ad abitum præparare possit: Ast si Princeps ad quem missus est Residens, Principali ejus bellum inferat, tamdiu securitate atque inviolabilitate J. Gent. gaudebit, usque dum Ditiones Principalis sui attigerit. Si vero Residens spartam suam relinquere detrectet, etiam vi armata ad id cogi posse certum est.

§. 5. Discedentibus Residentibus munera quædam, tanquam mansura hospitalitatis pignora dari solent; unde quæritur: An Residentes munera capere possint ab illo ad quem fuere missi? Equidem cum illa quæ sub discessum in benevolentia & honoris signum dantur, speciem corruptelæ non præ se ferant, licitè Residentes ea capere poterunt, quæ alias Legatione adhuc durante, ne in suspicionem malæ fidei incidant, abnuere deberent: Sacra enim vis est munerum & hæc faciunt, ut paucis sit carior fides quam pecunia. *Sallust. in bello Jugurth.* Diversarum tamen Rerumpublicarum diversa statuta circa acceptionem munerum se offerunt, & multo rigore apud Batavos in Resolutione quadam 20. Aug. Anno 1651. facta, iterumque ^{5.}_{15.} Februar. A. 1661. confirmata, statutum est, ne sui Legati munera apud alios capiant, adeo ut si minimum quippiam acceperint, pœna infamiae cum remotione ab omnibus officiis & beneficiis eos maneat *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 1. sect. 30. p. 455.* cum contra Respublica Venetorum ægre admodum ferat, si Legatis suis solita non offerantur munera *Wicquefort de l' Ambassad. d. l. p. 449.* Qualia vero hodie dari soleant munera

nera Howelius *de Legat.* §. 8. explicat, inprimis quid in Angliæ regno obtineat. Apud Batavos Legati Regum torquem Aureum, si extraordinarii, 4000. coronis, sin ordinarii 6000. fl. constantem, ablegati verò & Residentes eorum 1200. fl. Legati ac Residentes Germaniæ Italiæque Principum 800. flor. Hanseaticarum ciuitatum 400. vel 600. fl. accipiunt, daturque ipsis pecunia numerata, qua pro lubitu uti possint, sin malunt, torques aureus aut argentea pelvis traditur. confer *Kulpis de Legat. stat. Imper. c. 18. §. 4.*

§. 6. Expositis contrariis Residentium ad affinia eorum nunc progrediendum erit. Conveniunt vero cum Residentibus *Agentes*, de quibus cum *cap. 1. §. 21. & seqq.* quædam in medium protulerimus ea hic repetere supervacaneum foret. Item *Consules*, qui nihil aliud sunt quam Mercatores Hispanorum, Gallorum, Anglorum, Venetorum & Batavorum nomine in Barbaria aliisque locis Imperii Turcici residentes, in eum finem ut Mercatoribus suæ nationis assistant, eosve in contestandis excipiendisve litibus tueantur, unde præter linguam, instituta quoque illius regionis ubi subsistunt callere debent. *Kulpis de Legat. Stat. Imp. cap. 3. §. 4.* addatur de his *Marquardus III. de Jure commerc. cap. VI.* ubi consulum & Judicum apud Exteros Jura, quatenus præsumt Mercatoribus, prolixè explicat. Habent hi quandam permissu Principis jurisdictionis speciem in suæ nationis mercatores, *Fürstner de Supremat. c. 6. p. 24.* adeoque obvenientes leviores discordias inter illos componere possunt. Mercaturam tamen quoque exercent, atque Jurisdictioni illius loci ubi degunt subsunt, tam in civilibus quam criminalibus *Wicquefort de l' Ambassad. Liv. 1. Sect. 5. p. 63.* Interdum tamen contingit ut qui Legatus est, Consulis officium quoque administret; Sic enim Residens Venetus

tus

QNTA 5225

(80)

tus in Aula Constantinopolitana sub *Bailis* nomine Con-
sulem insuper & Judicem agit inter suæ non solum nationis,
sed & alios mercatores, qui sub signo S. Marci navigationes
Indicas commerciorum causa exercent. referente Kulpis *de*
Legat. Stat. Imp. c. 3. §. 4.

Atque hæc pro ingenii tenuitate protulisse suffi-
ciat ; quod si non cuncta attigerim, quæ circa hanc mate-
riam obvenire potuissent, facile a B. L. veniam me impe-
traturum spero : cum nemo unquam unus simul omnia
prehendere possit ; Interim si Deus vitam ingeniiqve ro-
bustiores concesserit vires, operam navabo, ut omnia ali-
quando addantur atqve cuncta meliori ordine & Judicio
elaborata procedant. Deo Ter optimo Maxi-
mo sit Laus & Gloria.



MC
107



B. M. II, li.
f. 29, 15.

RES

INC

PET

COM

21

Summos

CHRIS

AD D

H

BVS

VS

DINIS

I, Jcti

SSORIS

A

Privilegia

D. *Gilden*

DC XC.

M

ANIS.

II R
5228

